DE METAPHORARUM USU QUODAM CICERONIANO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI IN ACADEMIA LITTERARUM ROSTOCHIENSI AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS

TRADIDIT

MAX WIEGANDT

MEGALOPOLITANUS

ROSTOCHII

TYPIS H. WINTERBERGII

MCMX.

De dissertatione probanda ad ordinem philosophorum rettulit R. Helm, prof. ordin.

Examen rigorosum habitum est die XX. mens. Jul. anni MCMX.

Matris Memoriae

· S ·

Quamquam multa per saecula nemo nisi ille, qui Ciceronis genus dicendi imitatus erat, sibi merito puram atque elegantem dictionem Latinam vindicare putabatur, tamen adhuc nondum continua dissertatione quaesitum est, quae essent proprietates huius sermonis. Quae ut quaestio fieret, Norden nuper postulavit [1] et idem nonnullas rationes proposuit, quae disputantibus observandae essent. Quo ex numero mihi id praecipue summae gravitatis videtur esse, ut in investigandis auctoribus, quos Cicero secutus sit, a Graecis potissimum scriptoribus proficiscamur, [2] cum et eorum operum Latinorum, quae ante Ciceronem pedestri oratione composita sunt, perpaucae nobis restent reliquiae et eius ipsius temporibus ingens ille fluctus Graecarum litterarum totam Italiam perfuderit. Norden autem haec praecepta iis inprimis dedit, qui de orationum genere dicendi agunt. Atqui quaerentibus nobis, num Cicero priorum scriptorum rationem dicendi imitatus sit, ea praecipue opera illius consideranda sunt, quorum argumenta a prioribus accepit: philosophici et rhetorici libri, cum in iis nimirum oratio quoque maxime colorata sit priorum modo dicendi.[3] Quorum dictionem cum ipsam contemplari tum comparare cum sermone eorum, quorum ex scriptis Cicero argumenta hausit, primum nostrum erit.

At ne nimio munere suscepto quaestio singulis de rebus haud satis accurata fiat, et rhetorica praecipue scripta considerare, ex ceteris autem nonnullos locos similes solum excerpere satis habebimus — praesertim

---

[1]) Antike Kunstprosa, Lips. 1898, I 212 sqq.

[2]) ibid. 214 sq.: „Es müssen die griechischen Redner herangezogen werden: denn ihnen verdankt er das Beste, wie er selbst überall eingesteht und wie auch seine begeistertsten Bewunderer in alter und neuerer Zeit zugegeben haben.“ cf. Quintil. inst. or. X 5,2.

[3]) cf. Cic. de opt. gen. or. 14. [p. 13].

cum haud difficile sit illa, quae hac quaestione invenerimus, ad ceterorum quoque scriptorum orationem cognoscendam adhibere —, et de metaphoris solum fusius agemus, quippe quae figura, id quod inter omnes fere rhetores antiquos constat,[4] pulcherrimus ornatus orationis sit.

Restat, ut nonnulla dicamus de via, quam ingressuri sumus. Eorum, qui de tropis disseruerunt, magna, quin etiam maxima pars id solum spectat, ut originem collationum atque metaphorarum, i. e. imagines, ex quibus haustae sint, cognoscant. Quarum quaestionum insigne quoddam exemplum praebet ea, quam Wollner de nonnullis tropis in Ciceronis Quintiliani Taciti rhetoricis scriptis habuit,[5] ex qua appareat, quam tenues fructus tantus labor ferat, cum ea dissertatione praeter collationem id solum demonstretur illos scriptores saepe oratorem

---

[4]) Hanc sententiam primus Aristoteles pronuntiasse videtur, qui rhet. III 2 [1405 a 4 sqq.] dicit: ὅτι τοῦτο πλεῖστον δύναται καὶ ἐν ποιήσει καὶ ἐν λόγοις, αἱ μεταφοραί, εἴρηται, καθάπερ ἐλέγομεν, ἐν τοῖς περὶ ποιητικῆς [cf. Jahn ad Cic. or. 94], quocum loco congruunt ea, quae Quintilianus inst. or. VIII 6,4 scribit: „Incipiamus igitur ab eo <tropo> qui cum frequentissimus est tum longe pulcherrimus, translatione dico, quae μεταφορὰ Graece vocatur“ et ibid. 2,6: „Translatio quoque, in qua vel maximus est orationis ornatus, verba non suis rebus accommodat.“ Similiter Demetrius περὶ ἑρμηνείας [Walz, rhetores Graeci, 1832 sqq. IX 38/9] dicit: πρῶτα μὲν οὖν μεταφοραῖς χρηστέον· αὗται γὰρ μάλιστα καὶ ἡδονὴν συμβάλλονται τοῖς λόγοις καὶ μέγεθος; quem hoc loco Aristotelis quoque scriptis usum esse apparet ex verbis [Walz l. c. IX 40]: Ἀρίστη δὲ δοκεῖ μεταφορὰ τῷ Ἀριστοτέλει ἡ κατ' ἐνέργειαν καλουμένη, ὅταν . . . . Cicero denique or. 94 de tralationibus dicit: „haec . . sunt . . dulcissima.“ cf. Volkmann »Rhetorik der Griechen und Römer« p. 417 sq. et Straub, de tropis et figuris, quae inveniuntur in orationibus Demosthenis et Ciceronis, progr. Wirceburg. 1883, p. 26, adn. 59.

[5]) „Die von der Beredsamkeit aus der Krieger- und Fechtersprache entlehnten bildlichen Wendungen in den rhetorischen Schriften des Cicero, Quintilian und Tacitus“. Zusammengestellt von D. Wollner, Progr. Landau 1886.

cum milite aut gladiatore comparavisse; at redeundo ad fontes probare illam comparationem iam apud Graecos perusitatam et, ut videtur, iam a sophistis acceptam esse Wollner neglexit.

Atqui concedendum est quaestiones de troporum origine feraces esse, siquidem haec duo tenentur, ut primum respiciamus, quotiens scriptor tropis usus sit, deinde ex origine eorum concludamus, quibus in rebus praecipue versari consueverit.

Sed quo maioris momenti illa res est, eo magis est cavendum, ne ei nimium tribuamus. Necesse est enim scriptorem, siquidem eo consilio translaticia locutione utitur, ut id, quod sentit, explanatius definiatur[6], redire ad aliquam imaginem, quae omnibus legentibus et audientibus nota est[7]: neque pulcherrima ullum pondus habet, si non plane intellegitur. Quae res quantam vim habuerit in metaphoris eligendis, apparet ex Homericis carminibus, in quibus quamquam non ab uno poeta compositis tamen omnes tralationes ex eisdem imaginibus haustae sunt. Nec minus Platonis, quamquam is nonnullis saeculis post scripsit, plurimi quidem tropi ex eisdem comparationibus ducti sunt, id quod elucet ex collatione, quam George Olaf Berg in altera parte dissertationis »Metaphor and comparison in the dialogues of Plato«[8] fecit. Sequitur

---

[6]) Id autem praecipue metaphorarum proprium esse dicunt cum Aristoteles rhet. III 2 [1405 a. 8/9]: καὶ τὸ σαφὲς καὶ τὸ ἡδὺ καὶ τὸ ξενικὸν ἔχει μάλιστα ἡ μεταφορά et Anonymus π. τρόπων [Spengel rhet. Gr. III 227]: <τρόπος ἐστὶν> λέξις ἢ φράσις πεποιημένη ἢ τετραμμένη ἀπὸ τοῦ κυρίου ἐπὶ τὸ μὴ κύριον κατά τινα λόγον εἰς δήλωσιν εὐπρεπεστέραν, tum Demetrius περὶ ἑρμηνείας [Spengel III 281]: ἔνια μέντοι σαφέστερον ἐν ταῖς μεταφοραῖς λέγεται καὶ κυριώτερον, ἤπερ ἐν αὐτοῖς τοῖς κυρίοις, ὡς τὸ »ἔφριξεν δὲ μάχη«. οὐ γὰρ ἄν τις αὐτὸ μεταβαλὼν διὰ κυρίων οὔτ' ἀληθέστερον εἴποι οὔτε σαφέστερον. Aeque Cicero de or. III 161 scribit: „unde enim simile duci potest — potest autem ex omnibus —, indidem verbum unum, quod similitudinem continet, tralatum lumen adferet orationi.“ cf. definitiones μεταφορᾶς p. 10 sq. collatas.

[7]) cf. Arist. rhet. III 1412 a 10 sqq.

[8]) Berol. 1904 (Mayer et Müller).

ad scriptoris ipsius personam cognoscendam collectiones metaphorarum atque imaginum haud multum valere; quamobrem nullae fere nisi insuetae ac singulares videntur mihi dignae esse, quae commemorentur.

Alia igitur ratio sequenda est, quo feracior fiat haec quaestio. Omnibus enim, quod sciam, in dissertationibus id neglectum est earum quidem metaphorarum, quae persaepe ab omnibus adhibentur, ut praecipue tralatorum artis vocabulorum, propriam vim plerumque a scriptore omnino neglegi, quin etiam iam non sentiri.[9] Cicero contra eis tralationibus usus totam imaginem expingere solet, id quod ex rhetoricae artis vocabulis potissimum profecti infra demonstrabimus. Deinde autem id quoque quaerendum est, quibusnam causis commotus Cicero eas metaphoras quasi denuo ad vitam revocaverit.

Praeterea videndum esse arbitror, quomodo verba propria et tralata inter se conexa sint. Nam inter amplificatam comparationem et solam metaphoram interest media quaedam dictio, in qua tralationes eadem ex imagine haustae confusae sunt cum verbis proprie adhibitis. Illa sermonis proprietate, qua Cicero saepe in posteriore membro collationum quoque utitur, quantopere color orationis mutetur, apparet ex contentione Homericarum et Ciceroniarum comparationum, quae inter se diversissimae sunt:

B 455 sqq., ut exempla afferamus, poeta armorum fulgorem comparat cum ardore magnae silvae summo in monte incensae, eam videlicet ob causam, quod utriusque nitor ex longinquo cerni potest; id autem legenti coniciendum est; nam membra collationis solis particulis »ἠύτε . . ὡς . .« neque ulla voce communi, quae aut ex sententia tralaticia sumpta propriae orationi inserta sit aut et in armis et in silva incensa dicatur, artius inter se coniuncta

---

[9]) cf. Nägelsbach, Lat. Stilistik, § 130: „Wir Deutsche haben eine Menge von Ausdrücken, welche zwar metaphorischen Ursprungs, aber im Lauf der Jahrhunderte gleichsam abgenützt worden sind, so daß sie für uns kein Bild mehr geben." cf. ibid.[9] § 126.

sunt. Insequenti in sententia, qua tumultus atque strepitus exercitus Achaeorum comparatur cum clamore avium, quae in prata conveniunt, poeta similitudinem latius prosecutus animos nostros a proprio sensu orationis deflectit. Deinde multitudo Achaeorum confertur et cum copia florum atque foliorum, quae vere nascuntur, et cum turba muscarum, quae aestate vasa lacte referta circumvolitant; neque in his collationibus poeta ullam vocem et propriae et tralatae orationis communem adhibet. Neque Γ 10 sqq. id factum est, ubi pulvis militum pedibus volutus comparatur cum nebula.[10]

Cui generi collationum, quarum neque in priore membro poeta orationem propriam neque in posteriore translaticiam respicit, contrarius est Ciceronis modus comparandi, id quod et ex multis locis infra congestis et, ut iam hic exemplum afferam, ex l. de or. I 161 elucet: „tanquam in aliquam locupletem ac refertam domum venerim, non explicata veste neque proposito argento neque tabulis et signis propalam collocatis, sed iis omnibus multis magnificisque rebus constructis ac reconditis: sic modo in oratione Crassi divitias atque ornamenta eius ingenii per quaedam involucra atque integimenta perspexi, sed ea contemplari quom cuperem, vix aspiciendi potestas fuit"; nam primum ornamenti voce, qua Cicero et proprie et tralate utitur, deinde verbis „divitias . . involucra atque integimenta perspexi . . contemplari . . aspiciendi potestas . ." in propria sententia imago rei comparatae redintegratur. Et eandem imaginem renovat nonnullis verbis infra [§ 162 ineunte]: „Quin tu . . facis idem . ., quod faceres, si in aliquam domum plenam ornamentorum venisses: si ea seposita, ut dicis, essent, tu, qui valde spectandi cupidus esses, non dubitares rogare dominum, ut proferri iuberet, prae-

[10]) cf. Δ 452 sqq., H 4 sqq., K 5 sqq., Λ 62 sqq., N 62 sqq., N 334 sqq., O 263 sqq., Π 212 sqq., Π 364 sqq., P 53 sqq., Σ 207 sqq. al. l.

sertim si esset familiaris; similiter nunc petes a Crasso, ut illam copiam ornamentorum suorum, quam constructam uno in loco quasi per transennam praetereuntes strictim aspeximus, in lucem proferat et suo quicque in loco collocet". Attamen hic ad aliam aliquam imaginem delabitur: nam cum primum ut priore loco ingenium et domum inter se conferat, deinde verbis »quasi per transennam«[11] tabernae imaginis nos admonet.[12 13]

Denique cum a rhetoricae artis vocabulis inprimis profecturi simus, breviter dicendum est, qua ratione illa eruerimus. Nam cum eorum scriptorum rhetoricorum, qui ante Ciceronem fuerunt, perpauca restent, nonnumquam exemplis demonstrari non potest artis vocabulum quoddam iam a prioribus adhibitum esse. Attamen posteriores rhetores, ut praecepta atque instituta, sic artis vocabula quoque a prioribus acceperunt. Nam Hermogenem quidem, qui illorum princeps habebatur, constat totum ab iis pendere, et quousque ceteri alius ab alio sententias repetiverint, apparet, ut exemplum afferam, ex definitionibus μεταφορᾶς apud diversos rhetores:

Easdem enim species tralationum atque Trypho [Spengel III 191]: μεταφορά ἐστι λέξις μεταφερομένη ἀπὸ τοῦ κυρίου ἐπὶ τὸ μὴ κύριον ἐμφάσεως ἢ ὁμοιώσεως ἕνεκα et γίνεται δὲ ἡ μεταφορὰ τετραχῶς, ἀπὸ ἐμψύχων ἐπὶ ἔμψυχα · ·, ἀπὸ ἀψύχων ἐπὶ ἄψυχα · · ·, ἀπὸ ἐμψύχων ἐπὶ ἄψυχα · ·, ἀπὸ ἀψύχων ἐπὶ ἔμψυχα · · · enumerat Anonymus π. τρόπων [ibid 208]: μεταφορὰ δέ ἐστι μέρος λόγου ἀπὸ τοῦ κυρίως λεγομένου μεταφερόμενον ἐφ' ἕτερον ὁμοιώσεως ἢ ἐμφάσεως ἕνεκα. εἴδη δὲ αὐτοῦ τέσσαρα, quorum nonnullis etiam eadem

---

[11]) cf. Nonium s. v. transenna: „non, ut quidam putant, transitus, sed est fenestra."

[12]) cf. Gulielm. Friedrich, Quaestiones in Ciceronis libros de oratore. Mühlhausen i. Th. 1885 p. 26 a. h. l.

[13]) cf. Kiessling-Heinze ad Hor. carm. I 15, 29—31; II 2, 1; III 11,9—12; 16, 22; IV 2,5; 4,57 al. et Vahlen opusc. acad. I 299 sqq.

exempla adiungit. Nec minus Gregorius Corinthius [ibid. 216] eadem ei genera et exempla refert: μεταφορά ἐστι λόγου μέρος μεταφερόμενον ἤτοι ἐμφάσεως ἢ ὁμοιώσεως ἕνεκα, addit autem quintum genus. Aeque Anonymus π. τρόπων [ibid. 228] metaphoram definit: μεταφορά ἐστι λέξις ἀπὸ τοῦ κυρίως ὠνομασμένου ἐφ᾽ ἕτερον ὠνομασμένον μετενηνεγμένη.. ἢ ὁμοιώσεως ἢ ἐμφάσεως ἕνεκα, at alias species metaphorarum enumerat. Priorum autem definitionem totam repetunt et Cocondrius περὶ τρόπων [ibid. 232]: μεταφορά ἐστι μέρος λόγου ἀπὸ τοῦ κυρίως λεγομένου μεταφερόμενον εἰς ἕτερον ὁμοιώσεως ἢ ἐμφάσεως ἕνεκα et Georgius Choeroboscus περὶ τρόπων ποιητικῶν [ibid. 245]. μεταφορά ἐστι λέξις ἀφ᾽ ἑτέρου εἰς ἕτερον μεταφερομένη ἢ ἀπὸ τοῦ κυρίως λεγομένου μεταφερομένη ὁμοιώσεως ἢ ἐμφάσεως ἕνεκα, ἔχει δὲ εἴδη δ′ etqs.

Et ut praecepta, sic artis vocabula quoque semper eadem fuisse cognoscimus ex collectionibus, quas Ernesti[14] fecit.

---

[14]) «lexicon technologiae Graecorum rhetoricae» [Lips. 1795] et «lex techn. Latinorum rhet.» [Lips. 1797].

I.
De tralatis artis rhetoricae vocabulis.

§ 1.
De σχήματος metaphora.

Primum quidem σχήματος tralationis usum considerabimus, quam vocem a Graecis acceptam [1] Cicero varie interpretatur.

Propria sententia illius vocabuli eadem est atque Latinorum «habitus», [2] ita ut in oratione generatim totum dicendi modum significet. Et cum saepe, ut a Platone Crat. 423 D: ἔστι τοῖς πράγμασι φωνὴ καὶ σχῆμα ἑκάστῳ, καὶ χρῶμά γε πολλοῖς; in corpore dicatur, rhetores Graeci id nonnumquam ex hac imagine duxerunt, ut Ioann. Sic. schol εἰς [Ἑρμογ.] ἰδεῶν ά [Walz VI 139]: ἐπεὶ γὰρ ὁ λόγος ζῴῳ ἀναλογεῖ · · ἡ δὲ λέξις τῷ σώματι, καὶ τὸ σχῆμα τῇ τοῦ σώματος μορφῇ · · et Phoebamm. περὶ σχημάτων [Walz VIII 493]: εἴρηται δὲ σχῆμα διὰ τὸ μετασχηματίζεσθαι, ὡς ἐπὶ τῶν ὀρχουμένων ἀνθρώπων, ἢ ὡς ἐπὶ τοῦ πηλοῦ τοῦ πλαττομένου καὶ μετεσχηματισμένου εἰς εἰκόνα ἀνδρὸς ἢ γυναικὸς ἤ τινος τοιούτου.

Aeque Cicero, cum in propria oratione dicat „corpori mediocris habitus accesserat“ [Brut. 316], ea voce in oratione usus ad corporis imaginem venit, ut de or. III 199: „sed etiam si habitum orationis et quasi colorem aliquem [3] requiritis, est et plena quaedam, sed tamen teres“; quamquam, id quod infra demonstrabimus, aliae

[1]) cf. Ernesti l. c. et Bonitz, index Aristotelicus [ed. acad. vol. V] s. v. σχῆμα p. 739b 13 sqq. Quintil. inst. or. IX 3, 89 multos libros, quibus figurae s. «σχήματα» tractentur, enumerat. cf. Ps.-Longin. 16, 1.

[2]) cf. Charis. [Gramm. Lat. Keil I 552] „habitus σχῆμα“.

[3]) cf. permultos Platonis locos, quibus σχῆμα et χρῶμα inter se coniuncta sunt, ut Gorg. 474 D; Soph. 251 A; Reip. X 601 A [cf. Stallbaum a. h. l.]

quoque nonnullae voces, ut »color«, »plenus«, »teres« artis vocabula sunt, tamen Ciceroniani sermonis id proprium est, quod nulla nisi ea adhibet, quae proprie in corpore dici possunt, ita ut illis tot ex eodem fonte haustis translationibus tota imago perspicue ante oculos nostros proponatur. Ac perinde Brut. 64 oratio comparatur cum corpore: ⟨Lysias⟩ „habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos quam gracilitates consectentur“ e. q. s.

Attamen cum non certum Latinum, sed Graecum artis vocabulum a prioribus rhetoribus accepisset, quod ei in Latinam linguam transferendum erat, pro voce σχημάτων alia quoque nomina posuit, ut «formae», id quod ipse dicit Brut. 69: „sententiarum orationisque formis, quae vocant σχήματα“. Corporis autem imago ei observatur de opt. gen. or. 14: „nec converti ut interpres, sed ut orator, sententiis iisdem et earum formis tamquam figuris“, quo loco formam comparat cum figura;[4] et haec quoque vox pro artis vocabulo adhibita est de or. III 34: „ . . si paene innumerabiles sint quasi formae figuraeque dicendi specie dispares genere laudabiles . . “ et ibid. II 98: „ . . qui tamen verborum gravitate et elegantia et copia suam quandam expressit quasi formam figuramque dicendi“.

Atqui ut Graeci rhetores nonnumquam σχήματος, sic Cicero omnibus fere his locis formae et figurae voces pluraliter usurpavit; apparet igitur eum hic non de toto genere orationis loqui. Σχῆμα autem singula ornamenta quoque orationis significat, ut in Alexandri l. περὶ σχημάτων [Walz VIII 423]: τὸ δὲ σχῆμα περὶ πλείω ὀνόματα κόσμησις; cf. Tiberium rhetorem περὶ σχημάτων [Walz VIII

4) cf. Jahn a. h. l.: „formae gebraucht Cicero auch sonst für das griechische σχήματα; hier fügt er mit einem entschuldigenden tamquam den Ausdruck figurae hinzu, der noch mehr in rein körperlichem Sinne gebräuchlich war.“ cf. de inv. I 41: „Maius et minus et aeque magnum ex vi et ex numero et ex figura negotii sicut ex statura corporis, consideratur.“

527]: ἔστι τοίνυν σχῆμα τὸ μὴ κατὰ φύσιν τὸν νοῦν ἐκφέρον μηδὲ ἐπ' εὐθείας, ἀλλ' ἐκτρέπον καὶ διαλλάσσον τὴν διάνοιαν, κόσμου τινὸς τῇ πλάσει ἢ χρείας ἕνεκα et Herodianum περὶ σχημάτων [Walz VIII 594]: σχῆμά ἐστι λόγου ἢ λέξεως οἰκονομία μετ' εὐκοσμίας ἐκπεφευγυῖα τὴν ἰδιωτικὴν ἁπλότητα τῆς ἀπαγγελίας al. Quamobrem Cicero, praesertim cum σχῆμα apud poetas κόσμος dicatur, ut locis nonnullis, quos Stallbaum ad Platonis legg. III 685 C affert,[5] illud saepius voce ornamenti Latine reddidit, id quod et ipse dicit Top. 34: „At cum de ornamentis verborum sententiarumve praecipitur, quae vocant σχήματα, non fit idem", et ex eo potissimum cognoscimus, quod, ut Graeci rhetores σχήματα λέξεως et σχήματα διανοίας[6], sic ille ornamenta orationis et sententiarum scribit, ut de or. II. 122: „. . sic statuo et iudico neminem omnium tot et tanta, quanta sint in Crasso, habuisse ornamenta dicendi", de inv. II 49: „omnia enim ornamenta elocutionis", Brut. 140: „in sententiarum ornamentis et conformationibus" [cf. forma=σχῆμα], or. 17; or. 81: „sententiarum ornamenta", or. 136.

Or. 21 quoque illa tralatione usus est; sed hic ei, cum propriae sententiae eius vocabuli meminerit, coronae imago obversatur: „addit aliquos ut in corona toros, omnemque orationem ornamentis modicis verborum sententiarumque distinguit".

Multis autem aliis locis luminum translatione[7] in eadem sententia utitur; cf. Brut. 275: „. . . et verborum et sententiarum illa lumina, quae vocant Graeci σχήματα . .". — Proprie haec vox idem significat atque Graecorum φῶς, quam vim tralate quoque servavit, ut de or. III 50: „ut oratio, quae lumen adhibere rebus debet, ea obscuritatem et tenebras afferat", ibid. 161: „unde

[5]) Eurip. Androm. Ἀσιάτιδος γῆς σχῆμα, Θηβαία πόλις et Hesych. Σχῆμα πλάσμα, ἱματισμός, κόμπος.

[6]) cf. Ernesti l. c. s. v. σχῆμα; Ps.-Longin. περὶ ὕψους 8, 1: δισσὰ δέ που ταῦτα· [i. e. τὰ σχήματα] τὰ μὲν νοήσεως, θάτερα δὲ λέξεως.

[7]) cf. Nägelsbach, Latein. Stilistik[9], § 127, 2.

enim simile duci potest . ., indidem verbum unum, quod similitudinem continet, tralatum lumen adferet orationi", ibid. 19: „neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris, neque res lumen, si verba semoveris".[8]

Et cum, ut φῶς,[9] sic »lumen«[10] in picturis quoque adhibeatur, Cicero nonnumquam hanc imaginem explicat. De or. III 101 quidem — quamquam non de orationis lumine loquitur — scribit: „habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus umbram[11] aliquam et recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, extare atque eminere videatur", et ex eadem sententia Brut. 141

---

[8]) cf. Ernesti l. l. c. s. v. φῶς et »lumen«, et Ps.-Longin. 17, 2: τίνι γὰρ ἐνταῦθ' ὁ ῥήτωρ ἀπέκρυψε τὸ σχῆμα; δῆλον ὅτι τῷ φωτὶ αὐτῷ. σχεδὸν γὰρ ὥσπερ καὶ τἀμυδρὰ φέγγη ἐπαναφανίζεται τῷ ἡλίῳ περιαυγούμενα, οὕτω τὰ τῆς ῥητορικῆς σοφίσματα ἐξαμαυροῖ περιχυθὲν πάντοθεν τὸ μέγεθος; cf. adn. 9. Apud Quintilianum quoque similes locos invenimus, ut inst. or. VIII 2, 23: „tenebris orationis inferat quoddam intelligentiae suae lumen".

[9]) cf. Dion. Hal. de compos. verb. 23, 171: ἔοικε . . γραφαῖς συνεφθαρμένα τὰ φωτεινὰ τοῖς σκιεροῖς ἐχούσαις et de Isaeo iud. 4, 591: εἰσὶ δή τινες ἀρχαῖαι γραφαί, χρώμασι μὲν εἰργασμέναι ἁπλῶς καὶ οὐδεμίαν ἐν τοῖς μίγμασιν ἔχουσαι ποικιλίαν, . . αἱ δὲ μετ' ἐκείνας, εὔγραμμοι μὲν ἧττον, ἐξειργασμέναι δὲ μᾶλλον, σκιᾷ τε καὶ φωτὶ ποικιλλόμεναι, καὶ ἐν τῷ πλήθει τῶν μιγμάτων τὴν ἰσχὺν ἔχουσαι; A. Greilich, Dionysius Halicarnassensis quibus potissimum vocabulis ex artibus metaphorice ductis in scriptis rhetoricis usus sit, diss. Bresl. 1886, p. 36 sqq.; Ps.-Longin. 17, 2 [cf. adn. 8]: οὐ πόρρω δ' ἴσως τούτου καὶ ἐπὶ τῆς ζωγραφίας τι συμβαίνει· ἐπὶ γὰρ τοῦ αὐτοῦ κειμένων ἐπιπέδου παραλλήλων ἐν χρώμασι τῆς σκιᾶς τε καὶ τοῦ φωτός, ὅμως προυπαντᾷ τε τὸ φῶς ταῖς ὄψεσι καὶ οὐ μόνον ἔξοχον, ἀλλὰ καὶ ἐγγυτέρω παρὰ πολὺ φαίνεται.

[10]) cf. Plin. N. H. 35, 29: „tandem se ars ipsa distinxit et invenit lumen atque umbras, differentia colorum alterna vice sese excitante", ibid. 35, 131: „lumen et umbras custodiit atque ut eminerent e tabulis picturae maxime curavit"; ibid. 33, 163: „ratio in pictura ad incisuras, hoc est umbras dividendas ab lumine"; Quint. inst. or. XII 10, 4: ⟨Zeuxis atque Parrhasius⟩ „quorum prior luminum umbrarumque invenisse rationem . . dicitur". cf. Nägelsbach l. c.[v] § 136, 4.

[11]) Haec quoque metaphora et tralate in oratione et proprie in picturis adhibetur; cf. locos adn. 9 congestos et Plin. N. H.

quoque interpretandum est: „σχήματα enim quae vocant Graeci, ea maxume ornant oratorem eaque non tam in verbis pingendis habent pondus quam in inluminandis sententiis“; nam non ex σχημάτων, sed ex luminum, quippe qua tralatione illam Latine vertat, propria vi profectus oratione et tabula picta inter se comparatis loquitur de verbis pingendis et sententiis illuminandis, i. e. luminibus instruendis.

Or. 181 denique luminis cum formae metaphora coniuncta est: „. . ea quae dicuntur orationis quasi formae et lumina, quae, ut dixi, Graeci vocant σχήματα“. Quamobrem ei hoc loco alia propria vis translationis formae obversari videtur atque locis, quos p. 13 contuli, et cum, ut luminis, sic formae quoque metaphora saepius ex picturae imagine ducta sit — cf. Brut. 70: „similis in pictura ratio est; in qua . . eorum, qui non sunt usi plus quam quattuor coloribus, formas et liniamenta laudamus“ —, verisimile est Ciceronem hic quoque de illa cogitasse.

Deinde lumen eandem vim accepit atque ornamentum; quod quo modo fieri potuerit, hoc praecipue ex exemplo apparet: or. 134: „et reliqua ex collocatione verborum, quae sumuntur quasi lumina magnum afferunt ornatum orationi:[12] sunt enim similia illis, quae in amplo ornatu scaenae aut fori appellantur insignia, non quia sola ornent, sed quod excellant“.[13]

Et ut ornamenta, sic lumina quoque dicendi sive verborum sive sententiarum scribit, ut or. 67: „quod . . clarissimis verborum luminibus utatur . .“; ibid. 85:

35, 38: „sine usta non fiunt umbrae“, et ibid. 33, 159: „quo utuntur ad picturae umbras“ et Quintil. inst. or. VIII 5, 26: „Artifices, etiam cum plura in unam tabulam opera contulerunt, spatiis distinguunt, ne umbrae in corpora cadant“.

[12]) cf. locos p. 13 sq. e Graecis rhetoribus collatos.

[13]) cf. Quintil. inst. or. VIII 5, 28: „porro, ut afferent lumen clavus et purpurae, in loco insertae, ita . . “.

„etiam illa sententiarum lumina adsumat, quae non erunt vehementer inlustria“; ibid. 95: „In idem genus orationis . . verborum cadunt lumina omnia, multa etiam sententiarum“; ibid. 134: „et singulorum verborum et collocatorum lumina attigimus.“

Quae sententia ei ut Brut. 275 [„Erant autem et verborum et sententiarum illa lumina, quae vocant Graeci σχήματα, quibus tamquam insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio“; cf. p. 14] et or. 134 [cf. p. 16], sic his quoque locis obversatur: de or. III 96: ⟨debet esse⟩ „ita distinctum, ut sint quasi in ornatu disposita quaedam insignia et lumina“ et de or. III 201: „tum est quasi luminibus distinguenda et frequentanda omnis oratio sententiarum atque verborum“ et de or. II 119: „ut certis luminibus ornentur“. — Nec minus verbi illuminandi ex eadem imagine sumpti propriae sententiae recordatur de or. III 25: „quibus orationem ornari atque illuminari putem“.

Tertium denique lumen in aedificiis usurpatur,[14] ut a Cicerone proprie de domo 115: „a Q. Seio contendit, ut sibi domum venderet; quum ille id negaret, primo se luminibus eius esse obstructurum minabatur“, tralate de nat. deor. III 9: „natura . . duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere voluisset“, in oratione autem de opt. gen. or. 5: „Sed earum omnium rerum *ut aedificiorum* memoria est quasi fundamentum[15], lumen[16] actio“.[17]

[14]) Similiter Plutarchus vocem φωτὸς adhibet: de curios 1: Ἄπνουν ἢ σκοτεινὴν ἢ δυσχείμερον οἰκίαν ἢ νοσώδη φυγεῖν μὲν ἴσως ἄριστον· ἂν δὲ φιλοχωρῇ τις ὑπὸ συνηθείας, ἔστι καὶ φῶτα μεταθέντα καὶ κλίμακα μεταβαλόντα καὶ θύρας τινὰς ἀνοίξαντα τὰς δὲ κλείσαντα, λαμπροτέραν εὐπνουστέραν ὑγιαιοτέραν ἐργάσασθαι; cf. Lucian de domo 1: οἶκον δέ τις ἰδὼν μεγέθει μέγιστον καὶ κάλλει κάλλιστον καὶ φωτὶ φαιδρότατον καὶ χρυσῷ στιλπνότατον καὶ γραφαῖς ἀνθηρότατον . . .

[15]) Fundamenti tralationem persaepe apud Ciceronem legimus, ut de off. I 23; pro Planc. 29; de div. II 2; pro Murena 14: „fundamenta defensionis“; Phil. I 1; pro Balbo 31; pro Sext. 5: „quibus initiis et fundamentis hae tantae laudes excitatae sint“;

Eandem comparationem Brut. 66 fecit: „Nam ut horum concisis sententiis, interdum etiam non satis apertis cum brevitate tum nimio acumine, officit Theopompus elatione atque altitudine[18] orationis suae, quod idem Lysiae Demosthenes, sic Catonis luminibus obstruxit[19] haec posteriorum quasi exaggerata[20] altius oratio". Hoc autem loco profectus est ab »altitudine«. Ea quoque metaphora artis vocabulum est, quod iam a Graecis accepit[21] et saepe non solum in oratione, sed in aliis quoque rebus

---

de opt. gen. or. 5 Cicero ipse particula „quasi" indicat se propriae sententiae translationis recordari et de fin II 72: ⟨virtutum⟩ „omnium fundamenta vos in voluptate tamquam in aqua ponitis" totam imaginem restituit.

[16]) or. 125 quoque «actio» et «lumen» coniuncta inveniuntur: „tum sunt maxime luminosae et quasi actuosae".

[17]) Cum vox luminis nonnumquam in aedificiis adhibeatur, mihi verba «ut aedificiorum», quae delevit Lambinus, recte tradita videntur esse. — Ceterum non satis aperte Jahn a. h. l. adnotat: „Wie sehr oft bei den Alten sind die beiden Glieder der Vergleichung in einen Satz zusammengezogen". Ex exemplis enim collatis sequitur non membra comparationis contracta, sed, similiter ac nonnumquam in glossariis, illas voces quasi explicandi causa additas esse, ut legentibus certa imago repraesentaretur. Quamobrem perperam eiusmodi voces eam solum ob causam, quod simillimae sunt glossariorum adnotationibus, deletae sunt [cf. de or. III 217, p. 22].

[18]) cf. pro Rab. Post. 43: „nec mentis quasi luminibus officit altitudo fortunae et gloriae".

[19]) cf. de domo 115 [p. 17].

[20]) cf. Tusc. II 64: „quasi quandam exaggerationem altissimam animi". — Hoc quoque verbum saepius tralate adhibitum est, ut de or. I 234: „veritus es, nisi istam artem oratione exaggerasses, ne operam perdidisses" et ibid. III 105: „Nihil est enim ad exaggerandam et amplificandam orationem accommodatius quam utrumque horum cumulatissime facere posse". «Exaggeratum» et «altum» coniuncta sunt parad. V 41: „Nos vero, si quidem animo excelso et alto et virtutibus exaggerato sumus" et or. 192: „neque humilem et abiectam orationem nec nimis altam et exaggeratam probat".

[21]) cf. Paul. Geigenmüller, Quaestiones Dionysianae de vocabulis artis criticae. diss. Lips. 1908, p. 58.

absolute adhibet,[22] ut or. part. 77: „altitudo animi", ad fam. III 10, 10: „haec animi altitudo"; ibid. IV 13,4; pro Rab. Post. 43 [cf. p. 18 adn. 18]; de fin. V 71: „exstrue animo altitudinem excellentiamque virtutum". Aeque adiectivum »altus«[23] legimus or. 82: „cum verbum aliquod altius transfertur idque in oratione humili ponitur"; 192 [cf. adn. 20]; Brut. 276: ⟨si⟩ „quorum altior oratio".

Ceterum ab hac quoque metaphora profectus de or. III 22 totam imaginem expinxit: „sed si hoc quoque videtur esse altius, quam ut id nos humi strati suscipere possimus, illud certe tamen, quod amplexi sumus, . . nosse et tenere debemus" et or. 147, ubi artem rhetoricam cum arbore comparat: „nam omnium magnarum artium sicut arborum altitudo nos delectat, radices stirpesque non item".

§ 2.
De χρώματος metaphora.[1]

Ut saepe σχῆμα et χρῶμα,[2] sic apud Ciceronem nonnumquam »habitus« et »color« coniuncta sunt, ut de or. III 199: „si habitum orationis et quasi colorem aliquem requiritis . . " [cf. p. 12]; quo loco ipse vocibus »quasi« et »aliquem« additis illam translationem excusat; quam inter artis vocabula ponendam esse vel ex eo quoque intellegitur, quod iam apud Graecos rhetores perusitata fuit.[3] Qui eam ad corporis imaginem rettulerunt, id quod elucet ex Hermogenis l. περὶ ἰδεῶν I. c. 12 [Walz III 277 sqq.]: Κάλλος μὲν τοίνυν τὸ ἐν λόγῳ κυρίως μὲν εἴη ἂν τὸ ἐκ

[22]) cf. Thes. l. L. I 1767, 63 sqq.
[23]) cf. Thes. l. L. I 1775, 81 sqq.
[1]) cf. Greilich l. c. p. 31 sqq.
[2]) cf. p. 12 adn. 3.
[3]) cf. Ernesti l. c. s. v. χρῶμα. — Ceterum, ut σχῆμα, sic color quoque, cum primum in universum totum genus sermonis significet, paulatim vim ornamentorum atque figurarum orationis accepit; cf. Norden l. c., inprimis II 871, adn. 2.

πάντων τῶν τοιούτων τὰς ἰδέας αὐτοῦ πάσας, οἷον . . εὐάρμοστον καὶ σύμμετρον μετά τινος ἐμφαινομένης δι' ὅλου τοῦ λόγου ποιότητος ἤθους μιᾶς πρεπούσης τῇ ἰδέᾳ, καθάπερ ἐν σώματι χρῶμα . . ἐπειδὴ γὰρ καθόλου τὸ κάλλος ἐστὶ συμμετρία μελῶν καὶ μερῶν μετ' εὐχροίας . . , δεῖ δήπουθεν . . συμμετρίαν ἔχειν τούτων . . καί τινα ἐπανθεῖν αὐτῷ οἷον εὔχροιαν τὴν ἐμφαινομένην διόλου μίαν τοῦ ἤθους ποιότητα, ἣν δὴ καὶ φύσει τινὲς χρῶμα λόγου ὀνομάζουσιν . . . κάλλος γὰρ λόγου κυρίως μὲν ὃ προείρηται εἶναι λέγοιτ' ἄν, ἐπεὶ δέ ἐστί τινα ἃ δὴ σαφῶς ἐκπρέπει τῶν ἄλλων πολλάκις ἐν τῷ λόγῳ, οἷον κόσμος τις ἐπικείμενος ἔξωθεν κομμωτικός, ᾧ μόνῳ καὶ τὸ τοῦ κάλλους τινὲς τοῦ ἐν λόγῳ ἀπέδοσαν ὄνομα . . ., quae ad verba Maximus Planudes in scholiis [Walz V 512] haec adnotat: Κάλλος τοίνυν· ὥσπερ ἐπὶ τῶν σωμάτων ὁρῶμεν τὰ μὲν αὐτῶν τῇ φύσει κα ά, τὰ δὲ τῇ ἐπιμελείᾳ καὶ τῷ φαινομένῳ, οὕτω καὶ ἐπὶ τῶν λόγων οἱ μὲν ἐκ συμμετρίας τινὸς ἔχουσι τὸ κάλλος, οἱ δὲ ἐξ ἐπιμελείας . . . ει κάλλος ἐστίν· οὕτω τινὲς ὡρίσαντο τὸ ἐν σώματι ἀληθινὸν κάλλος· συμμετρία ὁμοιομερῶν τε καὶ ὀργανικῶν μετά τινος εὐχροίας διὰ παντὸς τοῦ σώματος διηκούσης.[4]

Inde factum est, ut Cicero de or. III 199 in corporis imaginem incideret; pergit enim: „. . insidere quidam venustatis non fuco inlitus, sed sanguine diffusus debet color". De or. III 96 quoque: „ornatur igitur oratio genere primum et quasi colore quodam et suco suo" ex suci vocabulo cognosci potest eum illam imaginem reminisci. — Et eadem est vis verbi colorandi or. 42: „sed quod educata huius nutrimentis eloquentia et ipsa se postea colorat et roborat . . "[5]

Eandem imaginem longius produxit vel coloris ipsa voce usitata commotus est, ut totum enuntiatum sic formaret, de or. II 60: „ut, quom in sole ambulem, etiam si ego aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen,

[4]) cf. R. Volkmann, Rhetorik der Griechen und Römer.[2] p. 78 adn.

[5]) cf. Brut. 170/1: „non est eorum urbanitate quadam quasi colorata oratio".

ut colorer" [cf. Graecum χρωματίζειν], „sic, quom istos libros . . studiosius legero, sentio illorum tactu orationem meam quasi colorari".[6]

Or. 78/9 denique ei coloris tralatio, etsi non ipsa utitur, tamen sine dubio obversatur: comparat enim orationem cum muliere:[7] „ut mulieres esse dicuntur nonnullae inornatae, quas id ipsum deceat, sic haec subtilis oratio etiam incompta delectat . . fucati . . medicamenta[8] candoris et ruboris omnia repellentur".[9]

Attamen vox χρώματος proprie idem quoque significat atque Latinum »pigmentum«, ut apud Platonem legg. 956 A: „χρώματα δὲ λευκὰ πρέποντ' ἂν θεοῖς εἴη καὶ ἄλλοθι καὶ ἐν ὑφῇ".[10] Quamobrem ille Pol. 277 B/C orationem et tabulam pictam inter se confert: διὸ μακροτέραν τὴν ἀπόδειξιν πεποιήκαμεν καὶ πάντως τῷ μύθῳ τέλος οὐκ ἐπέθεμεν, ἀλλ' ἀτεχνῶς ὁ λόγος ἡμῖν ὥσπερ ζῷον τὴν ἔξωθεν μὲν περιγραφὴν ἔοικεν ἱκανῶς ἔχειν, τὴν δὲ οἷον τοῖς φαρμάκοις καὶ τῇ συγκράσει τῶν χρωμάτων ἐνάργειαν οὐκ ἀπειληφέναι πω[11], quam eandem comparationem apud Dionysium Hal. invenimus: de comp. verb. 21, 146: ὥσπερ γὰρ ἐν ἐκείνῃ [i. e ἐν ζωγραφίᾳ] τὰ αὐτὰ φάρμακα λαμβάνοντες ἅπαντες οἱ τὰ ζῷα γράφοντες, οὐδὲν ἐοικότα ποιοῦσιν ἀλλήλοις τὰ μίγματα, τὸν αὐτὸν τρόπον ἐν ποιητικῇ τε διαλέκτῳ καὶ τῇ ἄλλῃ ἁπάσῃ τοῖς αὐτοῖς ὀνόμασι χρώμενοι πάντες, οὐχ ὁμοίως αὐτὰ συντίθεμεν.

[6]) cf. Plat. Phaedr. 239 C/D: Τὴν . . τοῦ σώματος ἕξιν τε καὶ θεραπείαν οἵαν τε καὶ ὡς θεραπεύσει οὗ ἂν γένηται κύριος, ὃς ἡδὺ πρὸ ἀγαθοῦ ἠνάγκασται διώκειν, δεῖ μετὰ ταῦτα ἰδεῖν. ὀφθήσεται δὲ μαλθακόν τινα καὶ οὐ στερεὸν διώκων, οὐδ' ἐν ἡλίῳ καθαρῷ τεθραμμένον, ἀλλ' ὑπὸ συμμιγεῖ σκιᾷ, πόνων μὲν ἀνδρείων καὶ ἱδρώτων ξηρῶν ἄπειρον, ἔμπειρον δὲ ἁπαλῆς καὶ ἀνάνδρου διαίτης, ἀλλοτρίοις χρώμασι καὶ κόσμοις χήτει οἰκείων κοσμούμενον κτλ.

[7]) cf. Hermogen. l. c. [p. 19 sq.].

[8]) cf. Graecum φάρμακα; Plat. pol. 277 B/C.

[9]) cf. Brut. 162: „in his omnibus" [sc. orationibus] „inest quidam sine ullo fuco veritatis color".

[10]) Ad hunc locum Cicero de legg. II 45 respicit: „color . . albus praecipue decorus deo est, cum in ceteris, tum maxime in textili".

[11]) cf. Stallbaum a. h. l.

Itaque Cicero et Brut. 320 scripsit: „primus et secundus annus et tertius tantum quasi de picturae veteris colore detraxerat“ et de or. III 217 ad verba „hi sunt actori . . . expositi ad variandum colores“ adposuit „ut pictori“.[12]

§ 3.
De »corpore« orationis.[1]

Et χρώματος et coloris metaphoram, id quod primo quidem obtutu fortasse mirum videatur, a rhetoribus saepe, quin etiam, ut quidem videtur, plerumque ad corporis imaginem referri inde explicatur, quod haec comparatio apud omnes rhetores frequentissima est.[2] Sic Cicero nonnumquam corporis ipsius tralatione utitur, ut or. 126: <αὔξησις> „etsi aequabiliter toto corpore orationis fusa esse debet, tamen . . “, Brut. 208: „corpus . . defensionis“, de or. II 325: „Conexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tanquam citharoedi prooemium adfectum aliquod sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur“,[3] hic quoque Graecos secutus, id quod, ut exemplum afferam, elucet e Longini l. περὶ εὑρέσεως [Walz IX 560]: Πεφύλαξο δὲ τοῖς λίαν ἀρχαίοις καὶ ξένοις τῶν ὀνομάτων καταμιαίνειν τὸ σῶμα τῆς λέξεως καὶ τὴν ὑφὴν τῆς παρασκευῆς; similiter Anonymus in scholiis ad εὑρέσεων γ′ scriptis [Walz VII 791] σεσωματοποιημένη

---

[12]) cf. or. 65: ⟨Sophistae verba⟩ „ita disponunt ut pictores varietatem colorum“.

[1]) cf. Nägelsbach l. c.[9] § 136, 3; ibid. § 139, 4. Wollner l. c. p. 23.

[2]) cf. Jahn ad or. 76: „Das Wesen der Beredsamkeit wird häufig mit dem der körperlichen Gesundheit verglichen, sei es, daß zunächst vom Redner die Rede ist, oder von der Beredsamkeit selbst, die man sich gern als eine Person und mit einem Leibe versehen vorstellte; vergl. 91. 126. Tac. dial. 21“; cf. Platonis et aliorum locos in § 2 collatos, quibus oratio cum corpore comparatur, et Ps.-Longin. περὶ ὕψους 9, 13; 40, 1; 10,1: „καθάπερ ἕν τι σῶμα ποιεῖν δύνασθαι“.

[3]) Thes. l. L. IV 1006, 58 sqq.

φράσις dicit: ἡ διασκευὴ οὐκ ἔστι διήγησις, ἀλλὰ τῶν ἐν τῇ διηγήσει ψιλῶς εἰρημένων σεσωματοποιημένη φράσις ἁρμόττουσα καὶ ἐπιλόγοις.[4]

Cuius autem comparationis recordatus or. 126 scripserit: <αὔξησις> „toto corpore orationis *fusa* esse debet“, cognoscimus ex l. de or. II 310: „reliquae duae“ <res, i. e. (aut docere) aut conciliare aut permovere> „sicuti sanguis in corporibus, sic illae in perpetuis orationibus fusae esse debent“, ubi non solum generatim orationem cum corpore, sed etiam ea, quae toti orationi inesse debent, cum sanguine comparat.

Haec quoque vox a Cicerone saepius tralate adhibetur,[5] id quod mirum non est, cum rhetores omnes corporis condiciones in orationem transferrent, quin etiam „aegrotam dictionem“ scriberent;[6] sic Cicero ipse quoque Brut. 283 verum sanguinem opposuit „vitioso“ i. e. aegroto: <Calvus> „nimium inquirens in se atque ipse sese observans metuensque, ne vitiosum colligeret, etiam verum sanguinem deperdebat.“

Et ex eadem comparatione alii quoque nonnulli loci explicandi sunt, quibus multis indidem sumptis tralationibus tota corporis imago animis nostris repraesentatur, ut Brut. 36: „sucus ille et sanguis incorruptus usque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor“, ubi videlicet χρώματος metaphorae recordatus est. Sanguini hoc loco oppositus est sucus, quae tralatio hic quidem ex eadem corporis imagine sumpta est.

---

[4]) cf. Tac. dial. 21: „oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae, nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris ipsosque nervos rubor [cf. χρῶμα] tegit et decor commendat“. cf. Hey, Archiv f. lat. Lexikographie. XV 1908. p. 456.

[5]) cf. Jahn ad or. 76: „Da das Blut als der eigentliche Sitz der Lebenskraft galt, wird sanguis häufig zur Bezeichnung der Kraft und Fülle, wie der Wärme und des Feuers in der Darstellung gebraucht“.

[6]) cf. Norden l. c. I 151.

Dubium autem est, de qua imagine Cicero de or. II 93 cogitaverit: „omnes etiam tum retinebant illum Pericli sucum, sed erant paulo uberiore filo“, quod hic non per totam sententiam eodem simili videtur usus esse. Nam cum suçus proprie in corpore dicatur, filum plerumque quidem ex re textoria a rhetoribus ductum est, id quod Ernesti l. c. s. v. »filum« docuit.

Quod artis vocabulum de or. III 103: <silva rerum> „formanda filo ipso et genere orationis, illuminanda verbis, varianda sententiis“, et or. 124: „si tenuis[7]

---

[7]) Voce »tenuis« Graecum λεπτόν Latine reddidit; nam et utrumque adiectivum proprie et in telis et in corporibus usurpatur, et tralatam vim eandem esse ex his locis inter se comparatis apparet (cf. Geigenmüller l. c.): Dion. Hal. Is. 20, 627/8 Thrasymachus appellatur καθαρὸς . . καὶ λεπτός et similiter Dem. 5, 965 Platonis dictio ἀκριβής τε καὶ λεπτή; ibid. 27, 1043 dicit: τὰ μὲν οὐκ ἀκριβῶς οὐδὲ λεπτῶς εἰρημένα; praeterea illud vocabulum legimus de imit. 6, 435: τοῦτο ζηλωτέον μάλιστα τῶν διηγήσεων τὸ λεπτὸν καὶ σύμμετρον et Dem. 13, 994: ὅλος ἐστὶν ἀκριβὴς καὶ λεπτὸς καὶ τὸν Λυσιακὸν χαρακτῆρα ἐκμέμακται εἰς ὄνυχα. Aeque Cicero eiusdem Lysiae sermonem tenuem vocat (cf. Volkmann l. c. p. 458) de opt. gen. or. 9: „imitemur . . Lysiam et eius quidem tenuitatem potissimum“ et or. 29: „ . . dum intellegamus hoc esse Atticum in Lysia, non quod tenuis sit atque inornatus“, quibuscum locis cf. or. 20, 46, 53. Inde vero profectus et de or. III 199 fusius orationem cum corpore contulit: „Sed etiam si habitum orationis et quasi colorem aliquem requiritis, est et plena quaedam, sed tamen teres; et tenuis, non sine nervis ac viribus“ et Brut. 64 de Lysia locutus dicit: „habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos quam gracilitates consectentur, quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat – quamquam in Lysia sunt saepe etiam lacerti, sic ut fieri nihil possit valentius, verum est certe genere toto strigosior —, sed habet tamen suos laudatores, qui hac ipsa eius subtilitate admodum gaudeant“. Nonnulla quidem eorum verborum alibi quoque tralate adhibet, at is tralatus usus vocis «strigosus» singularis est. Quamobrem Ernesti l. c. s. v. strigosus fortasse recte coniecit Ciceronem hic de equi corpore cogitasse; aliis autem locis dubium est, cuius animalis de corpore loquatur. Denique de or. I 57 eiusdem similis recordatur: „eadem, de quibus illi tenui *quodam* et exangui sermone disputant, hic cum omni iucunditate et gravitate explicet“.

causa est, tum etiam argumentandi tenue filum et in docendo et in refellendo" invenimus; sed ex his locis non potest cognosci, quae propria vis eius tralationis sit.

Attamen mihi de or. II 93 filum non ex texturae imagine fluxisse videtur, cum adiectivum «uber» additum sit. Cuius vis congruit videlicet cum sententia illorum artis vocabulorum Graecorum, quae in abundanti genere dicendi adhibentur; ita enim Cicero eo saepius usus est, ut Brut. 125: „noli enim putare quemquam, Brute, pleniorem aut uberiorem ad dicendum fuisse", de or. I 50: „qui discernes eorum, quos nominavi, ubertatem in dicendo et copiam ab eorum exilitate qui hac dicendi varietate et elegantia non utuntur?", or. 12: „omnis . . ubertas et quasi silva dicendi ducta ab illis est."

De or. II 96 autem non solum in universum de abundantia orationis loquitur, sed illa metaphora usus certam imaginem profert:[8] „Quod si haec noster Sulpicius faceret, multo eius oratio esset pressior; in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere in summa ubertate, inest luxuries quaedam, quae stilo depascenda est" [cf. de or. III 155],[9] quo loco, cum vox ubertatis proprie in plantis dicatur, in comparationem sermonis et herbarum incidit, quam totam amplificat.

Et ut in plantis, sic in omnibus corporibus adiectivum «uber» adhibetur. Quamobrem Cicero de or. II 93 quoque de his similibus cogitare potuit; et eam interpretationem veram esse comprobatur nonnullis locis, quibus, ut suci,[10]

[8]) Fortasse or. 91 quoque a propria vi vocis «uber» profectus est: „uberius est aliud aliquantoque robustius quam hoc humile de quo dictum est, summissius autem quam illud, de quo iam dicetur, amplissimum. Hoc in genere nervorum vel minimum, suavitatis autem est vel plurimum".

[9]) Metaphora luxuriei artis vocabuli loco utitur Quintilianus inst. or. IX 4, 69, quam e segetibus ductam esse elucet ex inst. or. XII 10, 80, ubi „laeta, non luxuriosa" dicitur de copia; quocum loco cf. Cic. or. 81: „laetas esse segetes, luxuriosa frumenta" et de or. III 155: „luxuriem esse in herbis, laetas segetes etiam rustici dicunt".

[10]) cf. ut exemplum afferam, de or. II 88: „Non enim potest

sic fili [11] quoque vox aut in plantis aut in corpore usurpatur.

Praeter »sucum« et »sanguinem« et »vis« et »vires« tralate adhibentur, ut de or. III 28: „Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit" et de or. II 129: „Harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat", quibus locis »vis« nimirum positum est pro Graecorum aut »δύναμις«[12] aut »ἰσχύς«[13] aut »δεινότης».[14]

Huius quoque artis vocabuli propria sententia nonnumquam locum dat totius imaginis expictae. Sic de or. II 72 scribit: <in causarum contentionibus> „vis oratoris plerumque ab imperitis exitu et victoria iudicatur", quae verba multae metaphorae ex eadem imagine haustae sequuntur;[15] praecipue autem considerandum est de opt. gen. or. 8: <Attici> „eatenus valuerunt, sani et sicci dumtaxat habeantur, sed ita ut palaestritae; spatiari in xysto ut liceat, non ab Olympiis coronam petant. Qui quom careant omni vitio, non sunt contenti quasi

---

in eo sucus esse diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assecutum".

[11]) cf. Martial. XI 52, 6: „ . . et porris fila resecta suis", ubi de plantis loquitur, et Varron. de l. L. X 5: „ . . qui facie . . eadem, habitu, corporis filo" ⟨sunt⟩. Attamen id quidem dici non potest, utrum Cicero l. c. de corpore an de planta cogitaverit. Sine dubio autem Piderit non recte a. h. l. adnotat: „Die Fäden waren nicht so fein gesponnen, sondern etwas stärker und voller".

[12]) cf, ut exempla afferam, Arist. rhet. I 1 [1355 b 17 sqq.]: ῾ γὰρ σοφιστικὸς οὐκ ἐν τῇ δυνάμει, ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει· πλὴν ἐνταῦθα μὲν ἔσται ὁ μὲν κατὰ τὴν ἐπιστήμην, ὁ δὲ κατὰ τὴν προαίρεσιν ῥήτωρ, ἐκεῖ δὲ σοφιστὴς μὲν κατὰ τὴν προαίρεσιν, διαλεκτικὸς δὲ οὐ κατὰ τὴν προαίρεσιν, ἀλλὰ κατὰ τὴν δύναμιν et Dion. Hal. Is. III 590: πηγή τις ὄντως ἐστὶ τῆς Δημοσθένους δυνάμεως [cf. Cic. de or. III 28].

[13]) cf. Ernesti l. c. s. v. «vis».

[14]) cf. Ernesti l. c. s. v. «δεινότης» et Geigenmüller l. c. p. 66.

[15]) de or. III 219: ⟨sumat sibi⟩ „aliud ⟨vocis genus⟩ vis, contentum, vehemens, imminens" Cicero similiter complura adiectiva tralata, quae indidem sumpta sunt, inter se coniunxit.

bona valetudine,[16] sed vires lacertos sanguinem quaerunt, quandam etiam suavitatem coloris. Eos imitemur, si possumus; si minus, illos potius, qui incorrupta sanitate sunt, quod est proprium Atticorum, quam eos, quorum vitiosa abundantia est, qualis Asia multos tulit. Quod quom faciemus . . . , imitemur, si potuerimus, Lysiam et eius quidem tenuitatem potissimum".[17] Hoc enim loco totam fere corporis naturam ad orationem transfert, profectus scilicet a metaphoris »sanus« et »siccus«, id quod ex ipsius verbis elucet: „sed quia eatenus valuerunt, sani et sicci dumtaxat habeantur".

Quibus ex tralationibus usum adiectivi »sanus« a Graecis acceptum esse cognoscimus cum ex Dion. Hal. Thuc. 29, 886: ὑγιέστερον γὰρ ἦν εἰπεῖν, tum ex Ps.-Longini περὶ ὕψους 33: Φέρε δὴ λάβωμεν τῷ ὄντι καθαρόν τινα συγγραφέα καὶ ἀνέγκλητον· ἆρ' οὐκ ἄξιόν ἐστι διαπορῆσαι περὶ αὐτοῦ τούτου καθολικῶς, πότερόν ποτε κρεῖττον ἐν ποιήμασι καὶ λόγοις μέγεθος, ἐπ' ἐνίοις διημαρτημένοις ἢ τὸ σύμμετρον μὲν ἐν τοῖς κατορθώμασιν, ὑγιὲς δὲ πάντῃ καὶ ἀδιάπτωτον.[18]

---

[16]) Ut hic praecipue valetudinis tralationem excusat particula «quasi», sic verbis „ut ita dicam" [cf. Hey l. c.] additis or. 76: „Etsi enim <Attica oratio> non plurimi sanguinis est, habeat tamen sucum aliquem oportet, ut, etiam si illis maximis viribus careat, sit, ut ita dicam, integra valetudine"; Brut. 64 autem [cf. p. 24 adn. 7]: „habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos quam gracilitates consectentur, quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat . . " ad eam vocem nullum verbum excusans adposuit.

[17]) Nihil refert Ciceronem hic non de oratione, sed de oratore loqui, cum in utroque persaepe eaedem metaphorae adhibeantur; cf. § 4, p. 30.

[18]) Norden l. c. I 370 aliud exemplum huius usus affert: Eunapi vit. soph. p. 94 Boiss. ἦν ἀνὴρ εἰς τὸν ἀρχαῖον χαρακτῆρα τὸν λόγον ἀναφέρειν βιαζόμενος καὶ τῆς ὑγιαινούσης Μούσης ψαύειν ὀριγνώμενος. cf. ibid. I 267; 643. Cicero ipse adiectivum «ὑγιής» tralate — quamquam non in oratione — adhibet, ut ep. ad Att. XV 1, 3: οὐδὲν ὑγιές et ibid. V 12, 4: „Servium exspecto nec ab eo quidquam ὑγιές".

In eadem autem sententia apud Ciceronem adiectivum, quod est »sanus», usurpatur,[19] ut Brut. 276: „Accedebat ordo rerum plenus artis, actio liberalis totumque dicendi placidum et sanum genus“ et ibid. 51: „Nam ut semel e Piraeo eloquentia evecta est, omnes peragravit insulas atque ita peregrinata tota Asia est, ut se externis oblineret moribus omnemque illam salubritatem Atticae dictionis et quasi sanitatem perderet ac loqui paene dedisceret“, ubi ex oblinendi verbo elucet eum hic de colore quoque corporis cogitare.

Nec minus sicci tralatione Graecorum quoddam artis vocabulum reddit, qui in eadem sententia ἰσχνὸν scripserunt, ut Demetrius περὶ ἑρμηνείας [Spengel III 313,10]: παράκειται . . τῷ ἰσχνῷ διημαρτημένος χαρακτήρ, ὁ ξηρὸς καλούμενος; et ut haec, sic vox »siccus« quoque in corpore dici potuit. Cicero enim ipse Cat. mai 34 scribit: „Nullo imbri, nullo frigore adduci, ut capite operto sit; summam esse in eo corporis siccitatem“, et Nonius, qui s. v. siccus eundem locum citat, nonnullos alios addit, quo ex numero hunc commemoro ex Varronis libro qui inscribitur „Cato vel de liberis educandis“ excerptum: „Persae propter exercitationes puerilis modicas eam sunt consecuti corporis siccitatem, ut neque spuerent, neque emungerentur, sufflatove corpore essent“, cum inde facillime cognosci possit, in qua sententia adiectivum »siccus« de corpore adhibeatur.

De sicca oratione autem Cicero saepius loquitur, ut Brut. 202: „Nihil erat in eius <i. e. Cottae> oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum“ et de opt. gen. or. 12: „id vero desinant dicere, qui subtiliter dicant, eos solos Attice dicere, id est quasi sicce et integre“[20] et de nat. deor. II 1: „si orationis est siccitas“.

[19]) cf. Norden l. c. I 267.

[20]) »Integer« eandem fere vim habere atque »sanus« apparet ex l. de fin I 30: „ipsa natura incorrupte atque integre iudicante“,

Ergo cum duo illa artis vocabula, quae de opt. gen. or. ineunte § 8 legimus, in communi sermone de corporibus usurpentur, eam nimirum ob causam Cicero delabitur ad totam hanc imaginem expingendam, ita ut quasi de gladiatorum arte dicat: „spatiari in xysto ut liceat, non ab Olympiis coronam petant“ et deinde de valetudine, viribus, lacertis,[21] sanguine, suavitate coloris[22] verba faciat; denique verbis „eos imitemur, si possumus; si minus, illos potius, qui *incorrupta sanitate* sunt, quod *est proprium Atticorum*“ ad exordium redit.

Ex eadem denique imagine artis vocabula »nervus« et »nervosus« fluxerunt, quae, ut exempla afferamus, invenimus Brut. 177: „sunt eius aliquot orationes, ex quibus sicut ex eiusdem tragoediis *lenitas eius non sine nervis* perspici potest“, de or. III 80: „neque enim *forensibus nervis* satis vehemens et gravis . . esse orator potest“, or. 127: „dicetur autem non Peripateticorum more . ., sed *aliquanto nervosius*“, Brut. 121: „Quis Aristotele *nervosior*, Theophrasto dulcior?“[23] — Or. 62 autem „horum oratio *neque nervos neque aculeos oratorios ac forenses* habet“, cum aculei tralatio ex comparatione oratoris et militis sumpta addita sit, dubium non est, quin ei propria vis vocis nervi obversetur.

ubi «integer» et «corruptus» inter se opponuntur; idem autem in adiectivis «corruptus» et «sanus» fieri Norden l. c. I 267 docuit.

[21]) Ea quoque tralatio saepius in oratione dicitur, ut de or. I 242: <hastas> „*oratoris lacertis* viribusque torquebit“; cf. Quintil. X 1, 77: „plenior Aeschines et magis fusus et grandiori similis, quo minus strictus est; carnis tamen plus habet, *minus lacertorum*“.

[22]) cf. § 2.

[23]) Hanc quoque metaphoram a Graecis accepit; cf. Geigenmüller l. c. p. 45; Volkmann l. c. p. 475; Aristot. rhet Γ 2 [1405 a 8]: . . τὸ ἡδὺ . . . ἔχει . . . μάλιστα ἡ μεταφορά et ibid. Γ 9 [1409 b 1]: ἡδεῖα μὲν ... ἡ ἐν περιόδοις λέξις ... διὰ τὸ ἐναντίως ἔχειν τῷ ἀπεράντῳ; Cic. de or. III 161.

§ 4.
De metaphoris ex sermone militum atque gladiatorum haustis.[1]

Una cum illis metaphoris, quas rhetores ex imagine corporis sumpserunt, considerandae sunt translationes ex certaminis simili haustae. Nam cum orator saepe cum milite sive gladiatore comparetur, quasi non ingenii, sed corporis armis pugnet, nonnumquam eadem vox tralata et in oratione et in oratore usurpatur; sic Cicero de or. III 28 de vi Demosthenis loquitur, cum eandem vocem in oratione adhibeat de or. II 129: „harum trium partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat".

Qua ex certaminis imagine permultae metaphorae non solum apud Latinos rhetores, id quod Wollner l. c. demonstravit, sed iam apud Graecos emanaverunt. Sic, ut exempla afferam, translationes »ἀγών« sive »ἀγωνία« perusitatae erant[2] Quam ob frequentiam huius comparationis minime mirum est, quod in eam iam ineunte primo libro rhetorico Ciceronis, de inv. I 1 dico, incidimus: „qui . . ita sese armat eloquentia, ut non oppugnare commoda patriae, sed pro his propugnare possit, is mihi vir . . utilissimus . . fore videtur".

[1]) cf. Straub l. c. p. 59 sqq. — Wollner l. c. p. 29.

[2]) cf. F. Ast, lex. Platon., Lips. 1835 s. v. «ἀγών» et «ἀγωνία»; ubi collatorum locorum ex numero hos solos cito: Crit. 45 E: ὁ ἀγὼν τῆς δίκης; Gorg. 456 C: δεῖ μέντοι . . τῇ ῥητορικῇ χρῆσθαι ὥσπερ τῇ ἄλλῃ ἀγωνίᾳ; Prot. 335 A: ἀγῶνα λόγων; Theaet. 172 E; quorum similia exempla apud Dionysium Hal. quoque multa invenimus, ut Isocr. XI 556: ἐν τῷ συστρέφειν τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρειν ὡς πρὸς ἀληθινοὺς ἀγῶνας ἐπιτήδειον Λυσίαν ἀπεδεχόμην; Lys. VI 464: τίς δ' ἐστίν, ἥν φημι ἀρετήν; ἡ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσα λέξις, οἰκεία πάνυ καὶ ἀναγκαία τοῖς δικανικοῖς λόγοις, καὶ παντὶ ἀληθεῖ ἀγῶνι et nonnullis verbis supra: περὶ τοὺς ἀληθινοὺς ἀγῶνας; ad Amm. II 722: ἀγωνισταὶ λόγων ῥητορικῶν; Dem. XVIII 1007: καίτοι γε τοῖς ἀθληταῖς τῆς ἀληθινῆς λέξεως ἰσχυρὰς τὰς ἁφὰς προσεῖναι δεῖ καὶ ἀφύκτους τὰς λαβάς al.

Ille hic quoque Graecorum auctoritatem secutus est, ut saepius ipse concedit: sic Top. 93: „refutatio . . . accusationis, in qua est depulsio criminis, quoniam Graece στάσις dicitur, appelletur Latine status; in quo primum insistit quasi ad repugnandum congressa defensio" dicit se voce »status« Graecum »στάσις« reddere, eandemque videlicet ob causam nonnullis verbis infra ad eam tralationem particulam »quasi« adposuit. Quo ex loco efficitur quoque illam vocem artis vocabulum esse, id quod Graecorum rhetorum verbis comprobatur: nam et Dionysius Hal., qui de comp. verb. 22, 148 quidem: ἐρείδεσθαι βούλεται τὰ ὀνόματα ἀσφαλῶς, καὶ στάσεις λαμβάνειν ἰσχυράς propriae sententiae vocis recordatur, ut ex verbo »ἐρείδεσθαι« elucet, et posteriores rhetores ea frequentius utuntur; sic et Hermogenis, qui proprium librum περὶ στάσεων composuit [Walz III], et aliorum rhetorum in scriptis sententia eius explicatur, ut in prooemio libri περὶ στάσεων [Walz VII 20] et in scholiis ad eum librum scriptis [ibid. 172]; in libro Anonymi denique περὶ τῶν στάσεων [ibid. V 591] priorum nonnullorum rhetorum, ut Hermagorae, citantur definitiones illius vocis.[3]

Qua ex imagine haec metaphora ducenda esset,[4] a scholiastis compluries quaesitum est, ut in scholiis εἰς στάσεις [Walz V 198/9] scriptis: οἱ μὲν γὰρ ἀπὸ τοῦ στασιάζειν τοὺς ἀγωνιζομένους πρὸς ἀλλήλους φασὶν ὠνομάσθαι τὴν στάσιν· οἱ δὲ ἀπὸ τοῦ ἑκατέρου τῶν ἀντιδίκων ὡς ἐπί τινος

[3]) Quo de vocabulo fusius Quintilianus ipse quoque egit inst. or. III 6, 3 sqq.: „Statum Graeci στάσιν vocant: quod nomen non primum ab Hermagora traditum putant, sed alii ab Naucrate Isocratis discipulo, alii a Zopyro Clazomenio; quamquam videtur Aeschines quoque in oratione contra Ctesiphontem uti hoc verbo, cum a iudicibus petit, ne Demostheni permittant evagari, sed eum dicere de ipso causae statu cogant. Quae appellatio dicitur ducta vel ex eo, quod ibi sit primus causae congressus, vel quod in hoc causa consistat"; deinde de tralata vi illius vocis loquitur.

[4]) cf. Volkmann l. c. p. 24.

ἀσφαλοῦς κρηπῖδος ἑστάναι περὶ τὰ οἰκεῖα δίκαια; illos autem inde non certum quicquam cognovisse ex Sopatri potissimum dictis effici potest, qui ad verba Hermogenis: ὅθεν γὰρ εἴρηται στάσις, εἴτε ἀπὸ τοῦ στασιάζειν τοὺς ἀγωνιζομένους εἴτε ὁθενοῦν, ἑτέροις ἐξετάζειν παρίημι [Spengel II 137, 31] adnotat: ταῦτα πρὸς Μινουκιανὸν αἰνίττεται· ὁ γὰρ Μινουκιανὸς εἶπεν, ὅτι εἴρηται στάσις ἢ παρὰ τὸ στασιάζειν ἐν ἑαυτοῖς τοὺς ἀγωνιζομένους, ἢ παρὰ τὸ ἵστασθαι εἰς τὸ βῆμα, ἢ παρὰ τὸ ἐνίστασθαι τοῖς δικαίοις ἑαυτοῦ ἕκαστον, ἢ παρὰ τὸ τοὺς δικαστὰς ἐν ἑαυτοῖς ἀμφιβάλλειν, οὐδέποτε γὰρ ἅμα πάντες ὁμογνώμονες γίνονται οἱ δικασταί· ἐπεὶ προσειλημμένον ἐστὶ τὸ ζήτημα ἢ ἄλλως ἀσύστατον· ἢ στάσις εἴρηται παρὰ τὸ σταθηρὰς ἔχειν τὰς ἀποδείξεις πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῶν ἀσυστάτων· καὶ γὰρ ἐκεῖνα οὐκ ἔχουσι σταθηράς.[5]

Qua in disceptatione Cicero ipse quoque versatur. At cum Hermogenes rem in medio relinquat, Cicero l. c. non solum pro voce »στάσις« Latinam »status« ponit,[6] sed etiam imaginem longius propagat; nam ex eodem pugnae simili ceteras quoque tralationes sumit.

Alibi vero nonnumquam propria vis quae sit cognosci non potest, ut insequenti in sententia: „Atque in deliberationibus etiam et laudationibus idem existunt status" et Tusc. III 79: „Nimirum igitur, ut in causis non semper utimur eodem statu (sic enim appellamus controversiarum genera), . . ."

Aeque autem ac Top. 93 illius vocabuli de propria sententia admonemur part. or. 102 nonnullis aliis meta-

[5]) In eadem quaestione occupatur scholiasta, qui ad Hermogenis verba «αἱ λεγόμεναι στάσεις» adscripsit [Walz IV 194 5]: ἰστέον δέ, ὅτι τὰς λεγομένας στάσεις φησίν, οὐ γὰρ συντίθεται Μινουκιανῷ τὴν στάσιν ἀπὸ τούτου εἰρῆσθαι ἐτυμολογοῦντι, ἀπὸ τῆς γενικωτέρας ἐν ταῖς πόλεσι στάσεως, καὶ διὰ τοῦτο εἶπεν τὰς λεγομένας στάσεις, ἀντὶ τοῦ ὁμωνύμως λεχθείσας· ἄλλοι δὲ λεγομένας ἀντὶ τοῦ οὐκ οἶδα πῶς τὸ ὄνομα τοῦτο ἐχούσας, ὡς δῆλον καὶ ἀπὸ τῶν ἑξῆς ἀφ' ὧν φησιν· ὅθεν μὲν γὰρ εἴρηται στάσις, ἀντὶ τοῦ οὐ περιεργάζομαι, πόθεν εἴρηται τὸ ὄνομα.

[6]) Quae eadem vox proprie in pugna usurpatur; cf. or. 129: „magno semper usi impetu saepe adversarios de statu omni deiecimus".

phoris, quae indidem haustae sunt: „Ita primus ille status et quasi conflictio cum adversario coniectura quadam, secundus . ." eqs; et quamquam primum quidem verba propria sequuntur, infra imago renovatur:[7] „et quoniam semper is, qui defendit, non solum resistat oportet aliquo certo statu aut infitiando aut definiendo aut aequitate opponenda, sed etiam rationem subiciat recusationis suae, primus ille status rationem habet iniqui criminis ipsam negationem inflictionemque facti; secundus . ." eqs.

Ad eandem porro comparationem tralatio »παλαίστρα« referenda est, qua, ut exemplum afferam, Ps.-Longinus περὶ ὕψους 4,4 utitur, ubi dicit Xenophontem et Platonem »ἐκ τῆς Σωκράτους παλαίστρας« esse, perinde ac Cicero, qui or. 229 etiam de ἀπαλαίστρῳ oratore loquitur. Vocem palaestrae ipsam legimus in l. de or. I 81: „Nitidum[8] quoddam genus est verborum et laetum, et palaestrae magis et olei quam huius civilis turbae ac fori", quae ad verba Piderit adnotat »nitidum« ob insequentem »palaestrae« dictum esse; et ob eandem scilicet causam »olei« quoque adpositum est.

Eadem tralatione Brut. 9 quoque imago quasi procreatur: „Phalereus . . successit eis senibus adulescens, eruditissimus ille quidem horum omnium, sed non tam armis institutus quam palaestra; itaque delectabat magis Athenienses quam inflammabat. Processerat enim in solem et pulverem, non ut e Theophrasti doctissumi hominis umbraculis", qui idem locus optimum exemplum praebet eius proprietatis Ciceroniani sermonis, qua primum quidem propriae sententiae tralationis nullam rationem habet — pergit enim: „itaque delectabat magis . . quam inflammabat" —, deinde autem denuo ad imaginem redit.[7]

At eadem vox »παλαίστρα« usum atque exercitationem significat,[9] cuius videlicet sententiae Cicero or. 228 recor-

[7]) cf. or. 42 [p. 40] al.
[8]) cf. Theocrit. 2, 50: „λιπαρὰ παλαίστρα".
[9]) cf. Nägelsbach l. c. § 136, 4 [p. 597].

datus est: „Ut enim athletas nec multo secus gladiatores videmus nihil nec vitando facere caute nec petendo vehementer, in quo non motus hic habeat palaestram quandam, ut quicquid in his rebus fiat utiliter ad pugnam idem ad aspectum etiam sit venustum, sic orator nec plagam gravem facit, nisi petitio fuit apta, nec satis tecte declinat impetum, nisi etiam in cedendo quid deceat intellegit. Itaque qualis eorum motus quos ἀπαλαίστρους Graeci vocant, talis horum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris sententias, tantumque abest ut . . enervetur oratio compositione verborum, ut aliter in ea nec impetus ullus nec vis esse possit. Sed magnam exercitationem res flagitat . . . “, quibus verbis paulatim ad propriam orationem revertitur. Quam comparationem totam ex tralatione »παλαίστρα« ortam esse elucet inde, quod et ad hanc potissimum vocem pronomen »quandam« excusans adponit et Graecum adiectivum ipsum Latino sermoni inserit.

Deinde adiectivum »συνεστραμμένος« nonnulli Graeci, ut Plato[10] et Demetrius,[10] ex imagine pugnae duxerunt. Quo artis vocabulo Dionysius Hal., ut exempla afferam, utitur Lys. VI 464 [cf. p. 30 adn. 2] et ibid. XIII 482: τὸ συστρέφειν τε καὶ στρογγυλίζειν τὰ νοήματα et Isocr. XI 556 [cf. p. 30 adn. 2]; idem ad Pomp. II 759 scribit: συστρέψαι δὲ δέον ἐν ὀλίγοις ὀνόμασιν et ut hoc loco, sic Dem. V 996 quoque cum verbo »συστρέφειν« coniungit »ἀποτείνω«: ἕλκει τε μακρὸν ἀποτείνασα τὸν νοῦν, συστρέψαι δέον ἐν ὀνόμασιν ὀλίγοις. Similiter Dem. XIX 1011 τὸ ἐν πλάτει λέγειν oppositum est τῷ συνεστράφθαι: ἔξω γὰρ ὀλίγων τινῶν, οἷς οὐκ ἐκ προνοίας μᾶλλον, ἢ κατ᾿ αὐτοματισμόν, συμβέβηκε τὸ συνεστράφθαι τἄλλα ἐν πλάτει λέγεται; cf. denique Lys. XXIV 501: κελεύουσι συστρέψαντας εἰπεῖν τὸ πρᾶγμα, ἵνα μὴ ἀγνοῶσιν τὴν ὑπόθεσιν οἱ δικασταί et ibid. V 463: συνέστραπται δέ, εἴ τις καὶ ἄλλος, καὶ πεπύκνωται τοῖς νοήμασι et alios non-

[10]) cf. p. 36.

nullos locos, quos omnes Geigenmueller l. c. p. 91 sqq. contulit. Nec minus apud posteriores rhetores »συστρέφειν« in oratione dicitur, ut apud Hermogenem in l. περὶ ἰδεῶν altero [Spengel II 347, 13]: τὰ κατὰ συστροφήν et nonnullis verbis infra: τοῦ δ' αὖ κατὰ συστροφὴν σχήματος[11] ἐν τούτῳ τῷ εἴδει παράδειγμα τόδε et apud Apsinem in arte rhetorica [Spengel I 374]: ἢ ἄλλο τι τῶν γοργῶν σχημάτων τίθεται δὴ κατὰ πλαγιασμὸν ἢ κατὰ συστροφὴν καὶ τόνον λαμβάνει.

At haec quoque tralatio, unde emanaverit, inter Graecos rhetores non satis constat. Kroll quidem ad Brut. 309 citat Sext. adv. gramm. II 7: Ζήνων ἐρωτηθείς, ὅτῳ διαφέρει διαλεκτικὴ ῥητορικῆς, συστρέψας τὴν χεῖρα καὶ πάλιν ἐξαπλώσας ἔφη· τούτῳ· κατὰ μὲν τὴν συστροφὴν τὸ στρογγύλον καὶ βραχὺ τῆς διαλεκτικῆς τάττων ἰδίωμα, διὰ δὲ τῆς ἐξαπλώσεως καὶ ἐκτάσεως τῶν δακτύλων τὸ πλατὺ τῆς δυνάμεως αἰνιττόμενος.[12]

---

[11]) cf. Hermogenem περὶ ἰδεῶν α' [Spengel II 328]: καὶ μὴν καὶ τὸ κατὰ συστροφὴν λεγόμενον σχῆμα; in Anonymi libro περὶ σχημάτων [Spengel III 130] proprium caput est «περὶ τοῦ κατα συστροφὴν σχήματος».

[12]) Quocum loco comparatur or. 113: „Zeno quidem ille, a quo disciplina Stoicorum est, manu demonstrare solebat, quid inter has artis interesset; nam cum compresserat digitos pugnumque fecerat, dialecticam aiebat eiusmodi esse; cum autem deduxerat et manum dilataverat, palmae illius similem eloquentiam esse dicebat. Atque etiam ante hunc Aristoteles principio artis rhetoricae dicit illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticae, ut hoc videlicet differant inter se, quod haec ratio dicendi latior sit, illa loquendi contractior". — Ceterum Ciceronis ratio narrandi hoc loco maxime differt a Sexti; nam hic, cum in manu iisdem vocibus, quae pro artis vocabulis in oratione adhibentur, proprie utitur, illorum ipsorum vim explicat nec solum, id quod apud Ciceronem factum est, in universum exponit, quid intersit inter dialecticam et rhetoricam. — Denique nonnullos locos a Fabricio ad Sext. Emp. adv. gramm. II 7 collatos affero, quibus iisdem id demonstretur, quantopere rhetores alius ab alio pendeant: „Isidorus II 23. Orig. ex Varronis novem disciplinarum libris: »Dialectica et rhetorica est quod in manu hominis pugnus astrictus et palma distensa: illa, verba contrahens, ista, disten-

Inde autem illud artis vocabulum profluxisse tum demum putaremus, si Zeno primus eo usus esset. At cum idem apud Platonem legamus in Prot. 342 E: εἰ γὰρ ἐθέλει τις Λακεδαιμονίων τῷ φαυλοτάτῳ συγγενέσθαι, τὰ μὲν πρῶτα ἐν τοῖς λόγοις εὑρήσει αὐτὸν φαῦλόν τινα φαινόμενον, ἔπειτα, ὅπου ἂν τύχῃ τῶν λεγομένων, ἐνέβαλε ῥῆμα ἄξιον λόγου βραχὺ καὶ συνεστραμμένον ὥσπερ δεινὸς ἀκοντιστής, ὥστε φαίνεσθαι τὸν προσδιαλεγόμενον παιδὸς μηδὲν βελτίω, ubi translatio «συνεστραμμένος» refertur ad imaginem sagittarii, Zenonis illud dictum ponendum est in genere fabularum quae dicuntur aetiologicarum. — Ex tertia denique imagine Demetrius περὶ ἑρμηνείας IX [Walz IX 6] eam vocem ducit: οὕτως ἐκτεινόμενον ἐκλύεται τοῦ λόγου τὸ θυμικὸν καὶ σφοδρόν, ὥσπερ τὰ θηρία συστρέψαντα ἑαυτὰ μάχεται· τοιαύτη τις ἂν εἴη συστροφὴ καὶ λόγου, καθάπερ ἐσπειραμένου πρὸς δεινότητα".[13]

Quod vocabulum Cicero Latine adiectivis aut »contractus« aut »astrictus« reddidit, ut de or. III 216, ubi »contractum« et »diffusum« genus dicendi inter se opponuntur; similiter Brut. 34 Sp. Mummium »astrictiorem« vocat et de or. I 70 dicit poetam »astrictiorem« esse quam oratorem; de or. III 184 quoque: „adsentior Theophrasto, qui putat orationem, quae quidem sit polita atque facta quodam modo, non astricte, sed remissius numerosam esse oportere" et Brut. 120: „Nam ut Stoicorum adstrictior est oratio aliquantoque contractior quam aures populi

---

dens»", quae ad verba Fabricius adnotat Varronem quoque hoc de Zenone Citiensi narravisse. Praeterea citat praecipue Cic. de fin. II 6, 17: „Zenonis est hoc Stoici omnem vim loquendi, ut iam ante Aristoteles, in duas tributam esse partes, rhetoricam palmae, dialecticam pugno similem esse dicebat, quod latine loquerentur rhetores, dialectici autem compressius" et Quint. II 20: „Cum duo sint genera orationis, altera perpetua, quae rhetorice dicitur, altera concisa, quae dialectice; quas quidem Zeno adeo coniunxit, ut hanc compressae in pugnum manus, illam explicitae diceret similem".

[13]) cf. Plat. Pol. I 336 B: οὐκέτι ἡσυχίαν ἦγεν, ἀλλὰ ξυστρέψας ἑαυτὸν ὥσπερ θηρίον ἧκεν ἐφ' ἡμᾶς ὡς διαρπασόμενος.

requirunt, sic illorum liberior et latior quam patitur consuetudo iudiciorum et fori" illud adiectivum adhibitum est.

Attamen is non in pugnae, sed in vinculi imaginem incidit or. 220: „nec tamen haec ita sunt arta[14] et astricta, ut ea, cum velimus, laxare nequeamus".

Ex eadem contentione orationis et pugnae tralationes »ἀσκεῖν«, »ἄσκησις«, »γυμνάζειν«, »γύμνασμα« saepius ducendae sunt, quas, ut exempla afferam, offendimus apud Nicolaum Sophistam in libro, quem inscripsit »προγυμνάσματα« [Sp. III 449, 3]: προγύμνασμά ἐστι καθόλου ἄσκησις μετρίων πρὸς μειζόνων ἐπίρρωσιν πραγμάτων et Theonem, προγυμν. [Spengel II 65, 29]: πρῶτον μὲν ἁπάντων χρὴ τὸν διδάσκαλον ἑκάστου γυμνάσματος εὖ ἔχοντα παραδείγματα ἐκ τῶν παλαιῶν συγγραμμάτων ἀναλεγόμενον προστάττειν τοῖς νέοις ἐκμανθάνειν et Diogenem Laertium V 1, 4[15]: <Ἀριστοτέλης> πρὸς θέσιν συνεγύμναζε τοὺς μαθητάς, ἅμα καὶ ῥητορικῶς ἐπασκῶν.

Quas voces Cicero nimirum metaphoris »exercitatio« et »exercere« reddit, ut Brut. 309: „A quo" [i. e. a stoico Diodoto] „cum in aliis rebus tum studiosissime in dialectica exercebar"; ibid. 332; 151; 249; de or. I 81; ibid. 90; 154; 243; de or. II 139; de or. III 190; or. 46.

At cum proprie, ut de or. II 287, de gladiatorum exercitatione loquatur, ab illis vocibus profectus nonnumquam oratores et gladiatores pluribus verbis inter se comparavit. Sic de or. I 156/7 primum quidem proprie locutus[7]: „iam vocis et spiritus et totius corporis et ipsius linguae motus et exercitationes non tam artis indigent quam laboris . . . . . Exercenda est etiam memoria ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris

---

[14]) cf. Verr. I 13: „artioribus apud populum Romanum laqueis tenebitur" et de rep. II 69: „concordia, artissimum atque optimum in omni re publica vinculum incolumitatis".

[15]) cf. Jahn ad or. 46.

scriptis et alienis. Atque in ea exercitatione non sane mihi displicet adhibere, si consueris, etiam istam locorum simulacrorumque rationem, quae in arte traditur", deinde tralato sermone usus pergit: „Educenda deinde dictiost ex hac domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque in aciem forensem, subeundus visus omnium et periclitandae vires ingenii, et illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferendast", et idem artis vocabulum ei de or. I 147 occasionem dat similis quidem imaginis cuiusdam proprio sermoni inserendae: „Et exercitatio quaedam suscipienda vobis est — quamquam vos quidem iam pridem estis in cursu —, sed iis, qui ingrediuntur in stadium[16] quique ea, quae agenda sunt in foro tamquam in acie, possunt etiam nunc exercitatione quasi ludicra praediscere ac meditari".[17]

Denique Brut. 243 commemorandum est, ubi orator inexercitatus [cf. ἀπάλαιστρος] comparatur cum pugile: „sed ut pugiles inexercitati etiam si pugnos et plagas Olympiorum cupidi ferre possunt, solem tamen saepe ferre non possunt: sic ille, cum omni iam fortuna prospere functus labores etiam magnos excepisset, illius iudicialis anni severitatem quasi solem non tulit." Attamen haec comparatio ex solis metaphora, quam perusitatam esse Ernesti l. c. s. v. »sol« demonstravit,[18] orta esse videtur, quod illa in utroque membro comparationis invenitur.

---

[16]) Quam lectionem veram existimo, cum optime quadret in cursus imaginem, qua Cicero saepius utitur, ut Cat. mai. 38: „hae sunt exercitationes ingenii; haec curricula mentis" et Brut 331: „tuum enim forum, tuum erat illud curriculum".

[17]) cf. § 148 extr.: „nunc de ipsa exercitatione quid sentias, quaerimus".

[18]) „Sol cum umbrae opponitur, significat in re militari pugnas, proelia vera, quae opponuntur exercitationibus militaribus: in oratoria autem orationes in foro aut contionibus, quae

Nec minus verbum defendendi ansam dat totius comparationis orationis et pugnae faciendae. Quam vocem ita, ut quae sit propria vis non cognosci possit, permultis locis adhibuit, quo ex numero de off. II 49 laudo: „ex accusatione et ex defensione [iudiciorum ratio] constat; quarum etsi laudabilior est defensio, tamen etiam accusatio probata persaepe est.“ Planius autem inde profectus oratorem et militem inter se confert cum de or. I 244, quo loco ad verba „paterni iuris defensor“ adponit „et quasi patrimonii propugnator sui“, tum de or. I 242: „in eo autem iure, quod ambigitur inter peritissimos, non est difficile oratori eius partis, quamcunque defendet, auctorem aliquem invenire; a quo cum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoris lacertis viribusque torquebit“; hoc enim loco imaginem militis cuiusdam muros defendentis, cui hastae ab aliis porriguntur, perspicue ante oculos nostros proponit.

Eadem atque »defendendi« »cedendi« tractatio apud Ciceronem est, quod verbum, ut exemplum afferam, artis

---

opponuntur declamationibus, h. e. orationibus, quae de rebus fictis exercitationis causa habentur in schola“ [Ernesti l. c.]. Quintilianus saepe hac metaphora usus est, ut inst. or. X 5, 17: „Sed quemadmodum forensibus certaminibus exercitatos, et quasi militantes reficit ac reparat haec velut sagina dicendi: sic adolescentes non debent nimium in falsa rerum imagine detineri et inanibus simulacris, usque adeo, ut difficile ab his digressos sit assuefacere, ne ab illa, in qua prope consenuerint, umbra, vera discrimina, velut quendam solem, reformident“, ibid. XII 10, 15: „. . qui quia clariorem vim eloquentiae, velut solem, ferre non possunt, umbra magni nominis delitescunt“, ibid. I 2, 18/9: „Ante omnia, futurus orator, cui in maxima celebritate et in media rei publicae luce vivendum est, assuescat iam a tenero non reformidare homines neque illa solitaria et velut umbratili vita pallescere. Excitanda mens et attollenda semper est, quae in huiusmodi secretis aut languescit et quendam velut in opaco situm ducit; aut contra tumescit inani persuasione; necesse est enim sibi nimium tribuat, qui se nemini comparat. Deinde cum proferenda sunt studia, caligat in sole, et omnia nova offendit, ut qui solus didicerit, quod inter multos faciendum est“.

vocabuli loco posuit Acad. prior. II 96: „C e d e r e t scilicet. Ipsa enim ratio conexi, quum concesseris superius, cogit inferius c o n c e d e r e“, cum de or. II 294: „Sed tamen ego de mea nunc, non de aliorum facultate disputo confiteorque m e, si quae premat res vehementius, i t a c e d e r e s o l e r e, u t n o n m o d o n o n a b i e c t o s e d n e r e i e c t o q u i d e m s c u t o f u g e r e v i d e a r, s e d a d h i b e r e q u a n d a m i n d i c e n d o s p e c i e m a t q u e p o m p a m e t p u g n a e s i m i l e m f u g a m, c o n s i s t e r e v e r o i n m e o p r a e s i d i o s i c, u t n o n f u g i e n d i h o s t i s, s e d c a p i e n d i l o c i c a u s a c e s s i s s e v i d e a r“ uberius oratio et pugna inter se comparentur.[19]

»Pugnae« denique opponitur, ut de or. II 294, »pompa«, quae vox a Graecis acceptum item artis vocabulum est;[20] ut illi ἐναγώνιος et πομπικός,[21] sic Cicero or. 42 »pompam« et »pugnam« inter se opposuit: „orationis genus . . . p o m p a e q u a m p u g n a e a p t i u s, gymnasiis et palaestrae dicatum, spretum et pulsum foro“[22], ubi nonnullis verbis infra, ut est consuetudo eius,[23] denuo eandem imaginem renovat: „verum haec l u d o r u m a t q u e p o m p a e, nos autem iam in aciem dimicationemque veniamus“.[24]

[19]) cf. Archiloch. 5 [Hiller-Crusius p. 3].

[20]) cf. Norden l. c. II 637 adn. 7. — Geigenmüller l. c. p. 112. — Dion. Hal. Dem. 32, 1056: Οὐδείς ἐστιν, ὃς οὐχ ὁμολογήσειεν, εἰ μόνον ἔχοι μετρίαν αἴσθησιν περὶ λόγους καὶ μήτε βάσκανος ᾖ μήτε δύσερίς τις, οὕτω διαφέρειν τὴν ἀρτίως παρατεθεῖσαν λέξιν τῆς προτέρας, ὅσῳ διαλλάττει πολεμιστήρια μὲν ὅπλα πομπευτηρίων, ἀληθιναὶ δ' ὄψεις εἰδώλων, ἐν ἡλίῳ δὲ καὶ πόνοις τεθραμμένα σώματα τῶν σκιὰς καὶ ῥᾳστώνας διωκόντων.

[21]) cf. Dion. Hal. Isocr. II 538; de im. 6, 432.

[22]) cf. Piderit a. h. l.

[23]) cf. Brut. 200 quoque: „intellegit oratorem in ea causa non adesse, qui possit animis iudicum admovere orationem t a m q u a m f i d i b u s manum“, quibus verbis redit ad illud simile, quo § 199 usus erat: „Ut enim ex nervorum sono in f i d i b u s quam scienter ei pulsi sint intellegi solet: sic ex animorum motu cernitur quid tractandis his perficiat orator“.

[24]) cf. de or. II 94: „sed eorum p a r t i m i n p o m p a p a r t i m i n a c i e inlustres esse voluerunt“ et Brut. 222: „Q. etiam Catulum filium abducamus ex a c i e, i. e. a iudiciis, et in p r a e s i d i i s rei publicae . . . collocemus“.

§ 5.
De »copia« orationis.

Multorum quoque artis vocabulorum, quibus copia orationis significatur, ad propriam sententiam Cicero saepius redit. Sic illa voce ipsa,[1] qua nimirum Graecorum πλῆθος[2] reddit, in animo eius aquae imago[3] excitatur, ut de or. III 68: „Hinc haec recentior Academia manavit, in qua extitit divina quadam celeritate ingenii dicendique copia Carneades“, praecipue autem Brut. 51: „hinc Asiatici oratores non contemnendi quidem nec celeritate nec copia, sed parum pressi[4] et nimis redundantes“, et similiter adiectivum »plenus« de or. III 199 in corpore usurpatur:[5] „Sed etiam si habitum orationis et quasi colorem aliquem requiritis, est et plena quaedam, sed tamen teres . . . “

---

[1]) cf. Cic. or. 99: „At vero hic noster . .“ nisi „suam copiam cum illis duobus generibus temperavit, maxime est contemnendus“; de or. III 125: „rerum enim copia verborum copiam gignit“; or. 37; de or. II 151: „Nam orationis quidem copia videmus ut abundent philosophi“; de or. I 85: „excitabatur homo promptus atque omni abundans doctrina et quadam incredibili varietate rerum atque copia“.

[2]) cf. Hermog. περὶ μεθόδου δεινοῦ V [Walz III 406]: πλῆθος . . ἐστι ποικίλων ὀνομάτων ἰσοτίμων ἐπίχυσις, εἰς κίνησιν ἤθους, οἷον τοῦδε παρόντος ἀγῶνος ἡ προαίρεσις αὕτη ἐχθροῦ μὲν ἐπήρειαν ἔχει καὶ ὕβριν καὶ λοιδορίαν καὶ προπηλακισμὸν ἐμοῦ καὶ πάντα τὰ τοιοῦτα . . ὅπου καὶ τὸ πλῆθος ἔδειξεν εἰπὼν ὁμοῦ et Plat. Parm. 137 A: κἀγώ μοι δοκῶ μεμνημένος μάλα φοβεῖσθαι, πῶς χρὴ τηλικόνδε ὄντα διανεῦσαι τοιοῦτόν τε καὶ τοσοῦτον πλῆθος λόγων.

[3]) cf. Kiessling-Heinze ad Hor. carm. I 17, 15: „manabit] da mit dem Begriff der copia opulenta die Vorstellung des Fließens (afluere, abundare) nahe verwandt ist“.

[4]) cf. de div. II 69: „si lacus Albanus redundasset, isque in mare fluxisset, Romam perituram; si repressus esset, Veios“.

[5]) cf. de or. III 51: „de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de pervulgatis nova quaedam est oratio tua“. Verisimile est Ciceroni hic quoque corporis imaginem obversari; »ieiunus« enim positum est pro Graeco «ἰσχνός» [cf. Dion. Hal. ad Pomp. II 758: ἡ δὲ δὴ Πλατωνικὴ διάλεκτος βούλεται μὲν εἶναι καὶ αὐτὴ δεῖγμα ἑκατέρων τῶν χαρακτήρων, τοῦ τε ὑψηλοῦ καὶ ἰσχνοῦ; Geigenmüller l. c.;

Pro Graecis porro verbis »οἰδᾶν«[6] et »πλεονάζειν«[7] Latini videlicet »abundare« et »redundare« dixerunt, id quod ex rhetorum definitionibus quoque elucet, ut ex Quintiliano (inst. or. IX 3, 46): „»Abiit, excessit, erupit, evasit«. Hoc Caecilio πλεονασμὸς videtur, id est, abundans" [πλεονάζουσα] „supra necessitatem oratio: sicut illa »Vidi oculos ante ipse meos« . . Nam et geminatio et repetitio et qualiscumque adiectio πλεονασμὸς videri potest"[8] et ex Charisio [gramm. Lat. I 271 K.]: „ . . Pleonasmus est sententia verbo plus quam necesse est abundans, ut »sic ore locuta est«, cum sufficeret dici »sic locuta est«"; cf. Diomedem [ibid. 449].

Cicero quamquam plerumque propriae sententiae verbi abundandi rationem non habet, ut de or. II 151: „Nam orationis quidem copia videmus ut abundent philosophi, qui, ut opinor, . . nulla dant praecepta dicendi nec idcirco minus, quaecumque res propositast, suscipiunt, de qua copiose et abundanter loquantur", III 52:

Demetrius περὶ ἑρμηνείας [Walz IX 85]: ἐπὶ δὲ τοῦ ἰσχνοῦ χαρακτῆρος ἔχοιμεν ἂν καὶ πράγματα ἴσως τινὰ μικρὰ καὶ τῷ χαρακτῆρι πρόσφορα, οἷον τὸ παρὰ Λυσίᾳ· οἰκίδιον ἔστι μοι διπλοῦν, ἴσα ἔχον τὰ ἄνω τοῖς κάτω. τὴν δὲ λέξιν εἶναι πᾶσαν χρὴ κυρίαν καὶ συνήθη· μικρότερον γὰρ τὸ συνηθέστερον πάντων]; et «ieiunus» autem et «ἰσχνός» in corporibus adhibentur [cf. Plat. de republ. VIII 556 D].

6) cf. Norden l. c. I 69, adn. 1.

7) cf. Dion. Hal. Isocr. 13, 561: . . . μέμφομαι . . τὸν πλεονασμόν . .; Dem. 58, 1128. cf. Spengel, rhet. Gr. II 32; 46; 50; 75; 166; 198; 212; 220; 242; 252; quod illi rhetores omnes πλεονασμόν iisdem fere verbis definiunt, inde quoque cognosci potest, quantopere alius ab alio pendeant. Quo ex numero Tryphon [Sp. III 198] «πλεονασμός» quid sit fusius explicavit: πλεονασμός ἐστι λέξις ἢ καθάπαξ ἢ μέρεσί τισι πλεονάζουσα, εἴδη δέ εἰσι τοῦ πλεονασμοῦ τρία . . παράγωγον μὲν οὖν ἐστι λέξις ἐν αὐτῇ τὸ πλεονάζον ἔχουσα . . ὁ γὰρ «καὶ» σύνδεσμος [sc. in versu Πάνδαρος, ᾧ καὶ τόξον Ἀπόλλων αὐτὸς ἔδωκεν], ἐνθάδε πλεονάζει· καὶ πλεονάζει ἡ πρό [in versu ἀρχοὺς αὖ νηῶν ἐρέω, νῆάς τε προπάσας].

8) Idem exemplum rettulerat iam inst. or. VIII 3, 53: „Est et πλεονασμός vitium, cum supervacuis verbis oratio oneratur. «Ego oculis meis vidi»".

„qui *abundanter* . . dicunt . . “, Brut. 238: „non erat *abundans*, non inops tamen“, de opt. gen. or. 8 hanc quoque vocem in imaginem corporis amplificandam adhibet: [imitemur] „illos potius, qui incorrupta *sanitate* sunt, quod est proprium Atticorum, quam eos, quorum *vitiosa abundantia* est, qualis Asia multos tulit“.

Aeque verbo redundandi saepe ita utitur, ut propria vis quae sit cognosci non possit; sic de or. II 83 scribit: „verborum omnium definitiones, in quibus neque abesse quicquam decet neque *redundare*“, or. 117: „cum res postulabit, genus universum in species certas, ut nulla neque praetermittatur neque *redundet*, partietur ac dividet“, de or. III 16: „fuit uterque . . perfectus, ut neque in Antonio deesset hic ornatus orationis neque in Crasso *redundaret*“.[9] — At cum, ut »abundare«, sic hoc quoque verbum proprie ex aquae imagine derivandum sit, minime mirum est, quod Cicero et Brut. 316: [Molo] „dedit operam, si modo id consequi potuit, ut *nimis redundantes nos et supra fluentes*[10] iuvenili quadam dicendi impunitate et licentia[11] *reprimeret*[12] et *quasi extra ripas diffluentis coerceret*“[13] et ibid. 203: „*redundans* tamen nec *circumfluens*“ [περιῤῥέουσα] „oratio“ ad hoc simile delabitur.[14]

Nonnumquam autem ei verbo redundandi uso plantae imago obversari videtur, id quod facillime fieri potuit, cum, ut supra [p. 42] commemoravimus, »redundare» pro »οἰδᾶν« diceret. Sic et or. I 20: „Et enim ex rerum cognitione *efflorescat et redundet* oportet oratio“ et de or. II 88 explicanda esse opinor. Quamquam

---

[9]) cf. Quint. inst. or. VIII 6, 40: „Apud oratorem, nisi aliquid efficitur, *redundat*“; IX 4, 116: <aures> „*redundantia* ac nimia fastidiunt“; IX 3, 74: „nisi *copia redundet*“; XII 10, 48.

[10]) Dion. Hal. Dem. XVIII 1006/7 de Isocratis dictione scribit: ὑπτία γάρ ἐστι καὶ ἐπαγωγικὴ καὶ *περιρρέουσα* τοῖς νοήμασιν.

[11]) cf. or. 108: „illa . . *iuvenilis redundantia*“.

[12]) cf. de div. II 69 [p. 41, adn. 4].

[13]) cf. Top. 39.

hoc quoque loco primum quidem [„oratione . . celeri et concitata, quod erat ingenii, et verbis ecfervescentibus et paulo nimium redundantibus, quod erat aetatis“] orationem cum aqua comparat; apposuit enim »ecfervescentibus«, quam vocem in aqua dici et ex l. de nat. deor. II 27: „Quam similitudinem cernere possumus in iis aquis, quae effervescunt subditis ignibus“ et ex or. pro Planc. 15 cognoscimus: „si campus, atque illae undae comitiorum, ut mare profundum et immensum, sic effervescunt quodam quasi aestu[15] ut ad alios accedant, ab aliis autem recedant . . “.[16] Deinde autem ad vitium simile delabitur: „Non sum aspernatus; volo enim se efferat in adulescente fecunditas.[17] Nam facilius sicut in vitibus revocantur ea, quae se nimium profuderunt quam, si nihil valet materies, nova sarmenta cultura

[14]) cf. Quint. inst. or. X 1, 62: <Stesichorus> „redundat atque effunditur“; [de nat. deor. II 116: [mare] „neque redundat umquam neque effunditur“].

[15]) cf. Verg. Aen. I 107.

[16]) cf. Brut. 246: <M. Pontidius> „ecfervescens in dicendo stomacho saepe iracundiaque vehementius“. — Ceterum pro «ecfervescere» saepe verbum simplex scribit, ut proprie Verr. I 67: „aqua denique ferventi . . Philodamus perfunditur“, tralate Brut. 108: „Appi Claudi volubilis, sed paulo fervidior oratio“, ibid. 241: „fervido quodam et petulanti et furioso genere dicendi“. Quae metaphora cum proprie in vino quoque usurpetur, Brut. 287/8 inde profectus longius orationem cum vino comparat: „Ut si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proxumis consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium aut Anicium consulem quaerat . . num igitur, qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putat? Minime; sed quandam sequatur aetatem. Sic ego istis censuerim et novam istam *quasi de musto ac lacu fervidam orationem* fugiendam nec illam praeclaram Thucydidi nimis veterem *tamquam Anicianam notam* persequendam. Ipse enim Thucydides si posterius fuisset, multo maturior fuisset et mitior“. Aquae autem imago ei obversatur Brut. 316: „contentio nimia vocis resederat et quasi deferverat oratio“.

[17]) Apparet hanc lectionem optime totius loci in sententiam quadrare.

excitantur; item volo esse in adulescente, unde aliquid amputem. Non enim potest in eo sucus esse diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assecutum".[18]

§ 6.

De »flumine« orationis.

Illam comparationem orationis et fluminis,[1] in quam Ciceronem saepius incidisse capite antecedente demonstravimus, iam apud Graecos frequenter invenimus. Sic «περιρρεῖν» scripserunt[2] et «εὔρους», ut Dion. Hal. de comp. verb. 23, 180: εἰκότως δὴ γέγονεν ἡ λέξις εὔρους τις καὶ μαλακή, τῆς ἁρμονίας τῶν ὀνομάτων ἀποκυματιζούσης τὸν ἦχον; sic Plato Phaedr. 238 C dicit «εὔροια»:[3] Πάνυ μὲν οὖν . . παρὰ τὸ εἰωθὸς εὔροιά τίς σε εἴληφεν, et Dion. Hal. Dem. XL 1077 «ῥύσις λέξεως»: ἐπιτρόχαλος δή τις γίγνεται καὶ καταφερὴς ἡ ῥύσις τῆς λέξεως, ὥσπερ κατὰ πρανοῦς φερόμενα χωρίου σώματα, μηδενὸς αὐτῆς ἀνακρούοντος· καὶ διαρρεῖ διὰ τῆς ἀκοῆς ἡδέως πως καὶ ἀσπαστῶς et idem de comp. verb. XXIII 23 (184) «ῥύσις συνεχής»; isque in eodem capite [p. 170] dicit γλαφυρὰν καὶ ἀνθηρὰν σύνθεσιν fluere ὥσπερ τὰ ῥέοντα νάματα; sic Longinus denique [Spengel I 326] scribit: ὅτι τὴν πλεονάσασαν περὶ τὴν Ἀσίαν ἔκλυσιν ἀνεκτήσατο Ἀριστείδης· συνεχῶς γάρ ἐστι καὶ ῥέων καὶ πιθανός.[4]

[18]) cf. Quint. inst. or. II 4, 4 et Hieronymum [Norden l. c. II 634/5]: „..quod et in disertissimis viris Graeciae legimus, qui Asianum tumorem Attico siccabant sale et luxuriantes flagellis vineas falcibus reprimebant, ut eloquentiae torcularia non verborum pampinis sed sensuum quasi uvarum expressionibus redundarent".

[1]) cf. Norden l. c. I 114; II 637 adn. 7. — Nägelsbach l. c. § 139, 3. — Straub. l. c. p. 45 et 50.

[2]) cf. p. 43 adn. 10.

[3]) cf. Stallbaum a. h. l. Dion. Hal. ad Pomp. II 764 eundem locum Phaedri citat.

[4]) Ex posterioribus rhetoribus multa exempla ab Ernestio l. c. collata sunt.

Aeque Cicero de flumine orationis loquitur de or. II 62: „Videtisne quantum munus sit oratoris historia? Haud scio an flumine orationis et varietate maxumum" et or. 53: „flumen aliis verborum volubilitasque cordi est" et Brut 325: „aliud autem genus est non tam sententiis frequentatum quam verbis volucre atque incitatum, quale est nunc Asia tota, nec flumine solum orationis, sed etiam exornato et faceto genere verborum", quibus omnibus locis »flumen« ut artis vocabulum adhibitum est. Contra ad propriam vim redit cum or. 228: „ne infinite feratur ut flumen oratio", tum de nat. deor. II 20: „ut profluens amnis aut vix aut nullo modo, conclusa autem aqua facile corrumpitur, sic orationis flumine reprehensoris vitia diluuntur, angustia autem conclusae orationis non facile se ipsa tutatur".

»Fluere« quoque oratio dicitur,[5] ut de or.III 190: „efficiendumst illud modo nobis, ne fluat oratio, ne vagetur, ne insistat interius, ne excurrat longius", or. 198: „in dicendo . . nihil est propositum, nisi aut ne immoderata aut angusta[6] aut dissoluta aut fluens sit oratio", or. 200, or. 220: „dissipata et inculta et fluens est oratio"; or. 39 autem haec comparatio planius expicta est: „quo magis sunt Herodotus Thucydidesque mirabiles; . . . . Alter enim sine ullis salebris[7] quasi sedatus amnis fluit, alter incitatior fertur et de bellicis rebus canit etiam quodam modo bellicum".

Accuratius vero quaerendum est de Brut. 274 [„Nihil tam tenerum quam illius comprensio verborum, nihil tam flexibile, nihil quod magis ipsius arbitrio fingeretur, ut nullius oratoris aeque in potestate fuerit: quae primum ita pura erat, ut nihil liquidius,

[5]) cf. Nägelsbach l. c. p. 562 adn.

[6]) cf. de nat. deor II 20.

[7]) cf. Quintil. inst. or. XI 2, 46: „resistens ac salebrosa oratio".

[8]) Index Ciceron. s. v. «adhaerescere».

ita libere fluebat, ut nusquam adhaeresceret"], cum interpretes inter se dissentiant, quaenam imago Ciceroni hic obversetur. Nam cum Schuetz[8] scribat: „oratio dicitur adhaerescere, ut aqua quum in flumine ad saxum aut aliam iniectam rem offendit", Kroll a. h. l. putat Ciceronem hic de veste cogitasse. Quae opinio confirmatur quodam modo verbis antecedentibus »mollis et pellucens vestiebat oratio«; nec minus adiectivum »tener« in illam imaginem quadrat, ut qua metaphora Ciceronis animo saepius imago rei flexibilis repraesentata sit, ut cum or. 52/3: „Nam est oratio mollis et tenera et ita flexibilis, ut sequatur quocumque torqueas . .", tum de or. III 176: „Nihil est enim tam tenerum neque tam flexibile neque quod tam facile sequatur quocumque ducas quam oratio", ubi nonnullis verbis infra pergit: „. . Non enim sunt alia sermonis alia contentionis verba; neque ex alio genere ad usum cotidianum alio ad scaenam pompamque sumuntur; sed ea nos quom iacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus et fingimus".

Attamen, ut cognoscamus, utra sententia vera sit, tralationum »purus« et »liquidus« imprimis usus considerandus est. Metaphora »purus« idem significat atque Graecum »καθαρός«,[9] quod artis vocabulum comparationis

[9]) cf. Dion. Hal. Lys. 2, 454: ⟨Λυσίας⟩ καθαρός ἐστι τὴν ἑρμηνείαν πάνυ . . κατὰ τοῦτο μὲν δὴ τὸ μέρος ὅπερ ἐστὶ πρῶτον καὶ κυριώτερον ἐν λόγοις, λέγω δὲ τὸ καθαρεύειν τὴν διάλεκτον, οὐδεὶς τῶν μεταγενεστέρων αὐτὸν ὑπερεβάλετο, ἀλλ᾽ οὐδὲ μιμήσασθαι πολλοὶ δύναμιν ἔσχον, ὅτι μὴ μόνος Ἰσοκράτης· καθαρώτατος δὴ τῶν ἄλλων, μετά γε Λυσίαν, ἐν τοῖς ὀνόμασιν οὗτος ἔμοιγε δοκεῖ γενέσθαι ὁ ἀνήρ, ep. ad Pomp. III 775: πρώτη τῶν ἀρετῶν γένοιτ᾽ ἄν, ἧς χωρὶς οὐδὲν τῶν ἄλλων τῶν περὶ τοὺς λόγους ὄφελος. τίς; ἡ καθαρὰ τοῖς ὀνόμασι καὶ τὸν Ἑλληνικὸν χαρακτῆρα σῴζουσα διάλεκτος [cf. auct. ad Herenn. IV 12, 17 (Marx p. 305): „Latinitas est, quae sermonem purum conservat ab omni vitio remotum"]; Geigenmüller l. c. p. 13, 17; Hermog. περὶ ἰδεῶν ά [Walz III 202]: Ἔννοιαι τοίνυν εἰσὶ καθαραὶ αἱ κοιναὶ πάντων καὶ εἰς ἅπαντας ἀνελθοῦσαι ἢ δόξασαι ἀνελθεῖν, σαφεῖς

orationis et maris sive lacus cuiusdam locum dat in Dionysii Halic. epist. ad Pomp. 2 (763): ὥσπερ ἐξ ἀέρος εὐδίου καὶ σταθεροῦ πολὺς ἄνεμος καταρραγεὶς ταράττει τὸ καθαρὸν τῆς φράσεως, cui similem comparationem ibid. 2, 758 quoque facit: <ἡ Πλατωνικὴ διάλεκτος> καθαρά τε γὰρ ἀποχρώντως γίγνεται καὶ διαυγὴς ὥσπερ τὰ διαφανέστατα τῶν ναμάτων.[10]

Ut vero Dionysius Hal. hoc loco »καθαρός« et »διαυγής«, sic Cicero de or. III 38: „quinam igitur dicendi est modus melior . . quam ut Latine . . . dicamus? Atque eorum . . rationem non arbitror exspectari a me puri dilucidique sermonis" adiectiva »purus« et »dilucidus« inter se conexuit.

Quamobrem verisimillimum est Ciceroni Brut. 274 quoque eandem imaginem obversari, in quam verbum adhaerescendi quoque cadit, cum, etsi non ipsum, tamen »haerere« quidem in aqua adhibeatur, ut de fin. V 84: [oratio] „haeret in salebra".[11] Illam autem interpretationem veram esse sequitur ex eo, quod proprie tralatio »liquidus« in aqua dicitur.[12]

ἀφ' ἑαυτῶν οὖσαι καὶ γνώριμοι καὶ μηδὲν ἔχουσαι βαθὺ μηδὲ περινενοημένον . . . χρὴ δὲ αὐτὰς καθ' ἑαυτὰς δρᾶν τὰς ἐννοίας ταύτας, ἀλλὰ μὴ ὧν ἕνεκα παρελήφθησαν· ἐπεὶ ἄλλο τι ὑπονοήσομεν εἶναι αὐτὰς καὶ οὐ καθαρὰς καίτοι ὅτι μάλιστα καθαρωτάτας οὔσας, εἰ καθ' ἑαυτὰς θεωροῖντο. αὗταί γε μὴν σχεδὸν καὶ πάντῃ εἰσὶν ἕνεκά γε τῆς ἐπιβολῆς καθαραί . . . . Μέθοδος δὲ καθαρότητος σχεδὸν μία. γίνεται γὰρ μάλιστα καθαρὸς ὁ λόγος, ὅταν ψιλὸν τὸ πρᾶγμά τις ἀφηγῆται ἢ ἄρχηταί γε ἀπ' αὐτοῦ ψιλοῦ τοῦ πράγματος καὶ μηδὲν ἔξωθεν συνεφέλκηται. οἷον γένος εἴδει προσλαβὼν ἢ ὅλου μέρει . . . περιβάλλει γὰρ ἅπαντα ταῦτα. καί εἰσιν ἔννοιαι περιβολῆς αὗται, ἥ ἐστιν ἐναντία καθαρότητι . . ἀπηλλάχθαι οὖν δεῖ τούτων ἁπάντων [i. e. earum rerum quae abundant] τὸν καθαρὸν λόγον κατὰ τὴν μέθοδον eqs. cf. Ernesti l. c., Joh. Sic. [Walz VI 146]; Anonymum scholiastam ad ἰδέας [Walz VII 914 sqq.]; Menandrum περὶ ἐπιδεικτικῶν 7 [Walz IX 150]; Aristidem τεχνῶν ῥητορικῶν ά [Walz IX 393].

[10]) Hanc sententiam iterat Dem. V 964.

[11]) cf. de off. III 117: „sed aqua haeret, ut aiunt": Nägelsbach l. c. § 129, 4. Otto, Sprichwörter p. 32.

[12]) cf. de or. II 159: „genus sermonis adfert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile aridum concisum ac minutum".

At redeamus ad propositum. Similem quandam propriam vim atque »fluere« nimirum habet »fluctuare« quam tralationem or. 198 legimus: „omnis nec claudicans nec quasi fluctuans et aequabiliter constanterque ingrediens numerosa habetur oratio", ubi Cicero particulam »quasi« adposuit, quod »fluctuare« hic singularem quandam vim habet, id quod ex verbo claudicandi, quocum coniunctum est, concludere licet. Hoc enim verbum, quod, ut exempla afferam, de or. III 198: „ut in versu volgus, si est peccatum, videt, sic, si quid in nostra oratione claudicat, sentit" et or. 173: „nihilne eis inane videtur, nihil inconditum, nihil curtum, nihil claudicans, nihil redundans?" legimus, proprie in corpore usurpatur[13] aeque atque Graecum adiectivum χωλὸς, quo tralate Demetrius περὶ ἑρμηνείας 18 [Spengel III 264] utitur: ἐν . . . τοῖς συνθέτοις περιόδοις τὸ τελευταῖον κῶλον μακρότερον χρὴ εἶναι, καὶ ὥσπερ περιέχον καὶ περιειληφὸς τἄλλα. οὕτω γὰρ μεγαλοπρεπὴς ἔσται καὶ σεμνὴ περίοδος, εἰς σεμνὸν καὶ μακρὸν λήγουσα κῶλον· εἰ δὲ μή, ἀποκεκομμένῃ καὶ χωλῇ ὁμοία. Inde sequitur Ciceronem »fluctuare« quoque, quamquam a fluendo ducendum est, tamen hic in corporis imagine adhibere, cuius sententiae auctor ad Herennium quoque IV 16 [Marx p. 303] videtur recordatus esse: „Qui in mediocre genus orationis profecti sunt, si pervenire eo non potuerunt, errantes perveniunt ad confinii genus eius generis, quod appellamus [dissolutum, quod est sine nervis et articulis, ut hoc modo appellem »fluctuans« eo quod] fluctuat huc et illuc nec potest confirmate neque viriliter sese expedire".

Denique de or. 21 nonnullis verbis agendum est: „Est autem quidam interiectus inter hos (i. e. grandiloquos copiososque et tenues acutosque oratores) medius et quasi temperatus nec acumine posteriorum, nec fulmine utens superiorum *vicinus* amborum, in neutro excellens, utriusque particeps vel utriusque . . potius expers; isque uno tenore,

[13]) cf. de or. II 249: „Sp. Carvilio graviter claudicanti ex volnere . .".

ut aiunt, in dicendo fluit nihil afferens praeter facilitatem et aequabilitatem"; nam hic praeter »fulmine«, quae vox in codicibus Ciceronianis tradita est, apud Nonium p. 59 »flumine« legimus. Quamquam utra lectio vera sit, dubitari potest, tamen mihi »flumine« melius »copiosis« convenire videtur, cum, id quod supra demonstravimus [cf. p. 41], ex metaphora copiae saepius aquae imago orta sit, ita ut — similiter atque »acumen« in acutis — »flumen« in copiosis potissimum oratoribus optime dici possit;[14] praeterea eandem comparationem paulo post propagat: „isque uno tenore, ut aiunt, in dicendo fluit nihil afferens . . ."

Ceterum ei hic singularem quandam vim vocis quae est »temperatus« obversari sequitur inde, quod particulam »quasi« adposuit; et cuius sententiae meminerit, apparet e locis nonnullis, quibus eodem adiectivo ita ut imago quaedam tota amplificetur, utitur: de or. II 212: „neque est ulla temperatior oratio quam illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur" et Phil. XII 26: „cuius [i. e. Antonii] acerbitas morum immanitasque naturae ne vino quidem permixta temperari solet". Illam autem in comparationem optime caderent verba »ut cinnus«, quae idem Nonius pro »vicinus« tradit; nam »cinnus« significat „apud veteres", ut ipsius verbis [p. 43] utar, „ . . potionis genus ex multis liquoribus confectum . . ".[15] At cum ea vox perraro apud scriptores Latinos inveniatur,[16] et collocatio verborum habeat aliquid, in quo offenditur, ne hac quidem de re certum quiddam effici potest.

[14]) cf. de nat. deor. II 20 [p. 46].
[15]) cf. Non. p. 59: „cinnus est conmixtio plurimorum".
[16]) cf. Thes. l. L. III 1, 1077, 30.

§ 7.
De »cursu« orationis.

Denique comparationem orationis et cursus considerabimus, quam perusitatam esse et alii[1] et Norden l. c.[2] demonstraverunt. Frequenter apud Ciceronem et vox »cursus« ipsa, ut Brut. 325: „In his erat admirabilis orationis cursus, ornata sententiarum concinnitas non erat" et de or. II 82: „Nam ego mihi benivolum iudicem facilius facere possum, quom sum in cursu orationis quam quom omnia sunt inaudita",[3] et verbum currendi tralate adhibitum est, ut Brut. 227: „expedita autem erat et perfacile currens oratio".

Ad propriam autem vim metaphorae redit et de or. I 161: „Tantus enim cursus verborum fuit et sic evolavit oratio, ut eius vim et incitationem aspexerim, vestigia ingressumque vix viderim", et or. 201: „Interdum enim cursus est in oratione incitatior, interdum moderata ingressio, ut iam a principio videndum sit quem ad modum velis venire ad extremum", et de or. II 39: „minime impediendus est interpellatione iste cursus orationis tuae" — nam vox »impediendus« in eandem imaginem cadit — et Brut. 233: [C. Fimbria] „omnia magna voce dicens, verborum sane bonorum cursu quodam incitato, ita furebat tamen, ut . . ", quo loco propriae sententiae vocabuli recordatus voces »quodam« et »incitato« apposuit.

Deinde cum de navis quoque cursu loquatur, ut pro Murena 33: „quum contento cursu . . . hostium classis Italiam . . peteret" et de off. III 50: „si . . . naves in cursu frumento onustas petentes Rhodum

¹) ut Stallbaum ad Plat. Protag. 329 A et Ernesti l. c.

²) cf. inprimis I 33, 3 et II 959.

³) cf. or. 212: „cursum contentiones magis requirunt, expositiones rerum tarditatem" et de or. III 136: „eloquentiam, quam in clamore et in verborum cursu positam putant".

viderit" et de nat. deor. III 83: „quum secundissimo vento cursum teneret", inde factum est, ut de or. I 153 hanc imaginem expingeret: „Ut concitato navigio cum remiges inhibuerunt, retinet tamen ipsa navis motum et cursum suum intermisso impetu pulsuque remorum, sic in oratione perpetua, cum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum scriptorum similitudine *et vi* concitata", quod simile ornatus solum causa adposuit; nam in hac sententia tralatis verbis eadem iterat, quae nonnullis versibus supra proprio sermone dixerat: „atque etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, cum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur".[4]

---

[4]) Ceterum Brut. 236 quoque orator cum cursore comparatur: „Deinde ex virginum iudicio magnam laudem est adeptus et ex eo tempore quasi revocatus in cursum tenuit locum tam diu, quam ferre potuit laborem".

At quaestiones nostras complectamur: primum Cicero plures metaphoras ex eadem imagine haustas in unum enuntiatum congerere solet; perfectis autem ubi utitur similibus nonnullis metaphoris insertis comparationem, quam modo fecerat, denuo repetit. Deinde alteram proprietatem sermonis cognovimus, qua proficiscitur a propria sententia artis vocabulorum, quae quidem pervulgatis tralationibus orta sunt.* Quamquam videlicet ut reliquae sic

*) Duo exempla non iam laudata, quibus iisdem illa ratio scribendi perspicue illustratur, hic addere liceat: Primum rhetores [cf. Volkmann, Rhetorik d. Gr. u. R. p. 396] loqui solebant de «elegantia» sermonis [cf. Brut. 148: „Crassus erat elegantium parcissumus, Scaevola parcorum elegantissimus“], cuius vocis propria sententia in Ciceronis animo imago cenantis cuiusdam oritur or. 83: „nam, sicut in epularum apparatu, a magnificentia recedens non se parcum solum sed etiam *elegantem* videri volet *et eliget* quibus utatur“.

Deinde τόπος et τοπική artis vocabula esse demonstrari non opus est. Inde autem ad complures imagines delabitur; sic Top. 6 sq. scribit: „Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partis, unam inveniendi, alteram iudicandi, utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit. Stoici autem in altera elaboraverunt, . . . inveniendi artem, quae τοπική dicitur, quae et ad usum potior erat et ordine naturae certe prior, totam reliquerunt. Nos autem, quoniam in utraque summa utilitas est et utramque, si erit otium, persequi cogitamus, ab ea, quae prior est, ordiemur. Ut igitur earum rerum quae absconditae sunt demonstrato et notato loco facilis inventio est, sic, cum pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus; sic enim appellatae ab Aristotele sunt eae quasi sedes, e quibus argumenta promuntur. *Itaque licet definire locum esse argumenti sedem*“ et planius imaginem venatoris explicat de or. II 147: „animus referendus est . . . ad illos, quos saepe iam appellavi, locos, ex quibus omnia ad omnem orationem inventa ducuntur. Atque hoc totum est sive artis sive animadversionis

hae comparationes praecipue orationis ornandae causa factae sunt, tamen duobus aliis quoque ex causis oriri potuerunt: Primum enim eius temporibus viri docti artem grammaticam valde fovebant, quo in studio iis de proprietate quoque verborum quaerendum erat. Idem autem in artis rhetoricae vocabulis factum esse cognovimus in usu vocabulorum »στάσις« [cf. p. 31 sqq.] et »συνεστραμμένος« [cf. p. 34 sqq.] considerando, et de illis quaestionibus Cicero hac ipsa proprietate dictionis usus certam quandam sententiam pronuntiavit. Accedit altera causa, qua coactus erat accuratius in propria vi artis vocabulorum cognoscenda versari. Nam cum ei, quippe qui fere primus uberius artem rhetoricam tractaret, Graeca artis vocabula Latine reddenda essent, necesse erat eum, ut aptissimum Latinum vocabulum inveniret, ad propriam vim illorum redire; nec minus ratio quaedam reddenda erat, qua de causa his potissimum vocabulis usus esset, id quod imagine expingenda fecit [cf. Top. 6; p. 53 adn.].

Illas proprietates sermonis, de quibus egimus, his causis explicare satis haberemus, siquidem nullis nisi artis vocabulis sic usus esset. Eum autem alias quoque metaphoras quasi decoloratas renovasse et ad pristinum nitorem revocasse nonnullis exemplis demonstrabimus.

---

sive consuetudinis nosse regiones, intra quas venere et pervestiges quod quaeras. Ubi eum locum omnem *cogitatione saepseris*, si modo usu rerum percallueris, nihil te effugiet atque omne, quod erit in re, occurret atque incidet“, quocum loco conferendum est de or. II 5: „bene dicere autem, quod est scienter et perite et ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis saepte teneatur“; de or. II 174 autem de fossore cogitavit: „Ut enim si aurum quoi, quod esset multifariam defossum, commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa et notas ostenderem locorum, quibus cognitis ipse sibi foderet et id quod vellet parvo labore nullo errore inveniret, sic has ego argumentorum volui notas quaerenti demonstrare ubi sint; reliqua cura et cogitatione eruuntur“. cf. Plat. Rep. IV 432.

II.

De ceteris metaphoris.

[§ 1]. Primum translationem **fructus** perusitatam esse vel omnibus notum est; sic, ut ex Ciceronis scriptis exemplum afferam, ad fam. V 13,1 legimus: „. . . illum fructum ex iis litteris vel maximum cepi“;[1] Brut. 16 autem, ubi hac eadem metaphora usus est, totam imaginem expinxit: „nec enim ex novis, ut agricolae solent, *fructibus* est, *unde tibi reddam quod accepi* — sic omnis fetus repressus est exustusque flos siti veteris ubertatis exaruit —, nec ex conditis, qui iacent in tenebris et ad quos omnis nobis aditus, qui paene solis patuit, obstructus est. Seremus igitur aliquid tamquam in inculto et derelicto solo; quod ita diligenter colemus, ut impendiis etiam augere possimus largitatem tui muneris; modo idem noster *animus* efficere possit, quod ager, qui, cum multos annos quievit, uberiores efferre fruges solet“; quocum loco conferendum est pro Cael. 76: „quae studia . . in adolescentia . ., *tamquam in herbis,* significant, quae virtutis maturitas, et quantae fruges industriae sint futurae“, unde sequitur »fruges« quoque in eadem sententia adhiberi; et

---

[1]) cf. pro Pis. 57: „. . iustam gloriam, qui est fructus verae virtutis honestissimus“; de off. II 63: „quod autem tributum est bono viro et grato, in eo quum ex ipso fructus est, tum etiam ex ceteris“. Similiter adiectivum «fructuosus» adhibuit ad Att. XIV 11, 2: „Ruina rem non fecit deteriorem, haud scio an iam fructuosiorem“ et de off. II 64: „est enim non modo liberale paullum nonnumquam de suo iure decedere, sed interdum etiam fructuosum“.

ex eadem imagine metaphoram »ferax« hausit, qua et de off. III 5 usus est: „Sed, quum tota philosophia . . frugifera et fructuosa nec ulla pars eius inculta ac deserta sit, tum nullus feracior in ea locus est nec uberior, quam de officiis, a quibus constanter honesteque vivendi praecepta ducuntur“ et or. 48: „Nihil enim est feracius ingeniis; iis praesertim, quae disciplinis exculta sunt. Sed ut segetes fecundae et uberes non solum fruges verum herbas etiam effundunt inimicissimas frugibus, sic interdum ex illis locis aut levia quaedam aut causis aliena aut non utilia gignuntur“; cf. de or. II 131: „Subacto mihi ingenio opus est, ut agro, non semel arato, sed novato et iterato, quo meliores fetus possit et grandiores edere“.

[§ 2.] Deinde saepe et ab aliis et a Cicerone metaphora **»ardor animi«**[2] adhibita est, quam eandem longius produxit Brut. 93: „ardor animi non semper adest, isque cum consedit, omnis illa vis *et quasi flamma* oratoris extinguitur“; de or. II 190 similem quidem comparationem quandam invenimus: „neque ut oderit eum quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit; . . . . . . Ut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quae nisi admoto igni ignem concipere possit, sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim orationis parata, quae possit incendi, nisi ipse inflammatus ad eam et ardens accesseris“; cf. ibid. 194: „Saepe enim audivi poetam bonum neminem . . sine inflammatione animorum existere posse et sine quodam adflatu quasi furoris“, ubi, cum »adflatu« scriberet, imaginis venti recordatus est, et 197: „Quamquam te quidem quid hoc doceam, qui in accusando sodali meo tantum incendium non oratione solum, sed etiam multo magis vi et dolore et ardore animi concitaras, ut ego ad

[2]) cf. Thes. l. L. II 490, 69 sqq.

id restinguendum vix conarer accedere?" His iisdem e locis cognosci potest animo eius nonnumquam per longum tempus eandem imaginem obversari; nam profectus a metaphora »flagrantem odio« tota imagine expicta et 194 et 197 idem simile iterat.

[§ 3.] Nec minus translationis »gubernare« propriam sententiam saepe iam non sensit, qua, ut exempla afferam, et initio libri primi de oratore usus est [8: „qui regere ac gubernare rem publicam possint"; cf. 38: „ista praeclara gubernatrice . . civitatum eloquentia", 46: „una paene voce repelli oratorem a gubernaculis civitatum"] et pro Sext. 20, pro Rosc. Amer. 131: [L. Sulla] „cum solus rem publicam regeret orbemque terrarum gubernaret", in Catil. III 18: „Idque iam coniectura consequi possumus, quod vix videtur humani consilii tantarum rerum gubernatio esse potuisse"; quam metaphoram, cum in epistulis quoque, ut ad fam. II 7, 1: „te . . hortor, ut omnia gubernes et moderere prudentia tua" et ad Att. XIV 11, 1: „Sed haec fortuna viderit, quoniam ratio non gubernat", legamus, sequitur eandem in cotidiano sermone usitatam fuisse. — Ab hac igitur profectus comparationem amplificavit de inv. I 4:[3] „cum ad gubernacula rei publicae temerarii atque audaces homines accesserant, maxima ac miserrima naufragia fiebant."[4]

[§ 4.] Similiter Cicero nonnumquam metaphoram quae est »patefacere« longius producit. Quam contritam esse cognoscimus ex or. pro Mil. 103: „Quodnam ego concepi tantum scelus, aut quod in me tantum facinus admisi, iudices, quum illa iudicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, exstinxi?", pro Lael. 97: „Quod si in scena, id est, in contione, in qua rebus fictis et adumbratis

---

[3]) Ceterum ille usus metaphoras amplificandi, de quo egimus, in libris de inventione scriptis perraro invenitur.

[4]) Haec metaphora eam nimirum ob causam perusitata fiebat, quod ea comparatio iam ab antiquissimis scriptoribus adhibebatur.

loci plurimum est, tamen verum valet, si modo id patefactum et illustratum est", de or. I 177: „nonne in ea causa ius applicationis, obscurum sane et ignotum, patefactum in iudicio atque inlustratum est a patrono?"; cf. de fin. II 5: „haec patefactio quasi rerum opertarum, quum, quid quidque sit, aperitur, definitio est". — De or. I 204 autem tota imago nobis repraesentatur: „Ego intellego, si in haec, quae *patefecit* oratione sua Crassus, *intrare* volueritis, facillime vos ad ea, quae cupitis, perventuros ab hoc aditu *ianuaque patefacta*"; Cicero cum et ineunte et exeunte in sententia illam translationem adhibeat, sine dubio in comparatione facienda inde proficiscitur.

[§ 5.] De or. I 203 denique duas pervulgatas metaphoras ad totam imaginem propagatas inter se coniunxit:[5] „Equidem vobis . . fontes, unde hauriretis, atque itinera ipsa putavi esse demonstranda, non ut ipse dux essem, quod et infinitum est et non necessarium, sed ut commonstrarem tantum viam, et, *ut fieri solet*, digitum ad fontes intenderem", qua eadem ex imagine metaphoram quandam hausit § 205: „vias earum rerum rationemque cupimus cognoscere". Ut ex hoc loco, sic ex aliis apparet Ciceronem illarum tralationum propriam vim iam non sentire, ut ex l. de fin. II 3: „omnis autem in quaerendo, quae via quadam et ratione habetur, oratio" et ex l. de nat. deor. II 57: „Zeno naturam ita definit, ut eam dicat ignem esse artificiosum ad gignendum progredientem via"; ceterum eandem iam Graeci adhibuerunt, ut Plato Phaedr. 263 B: οὐκοῦν τὸν μέλλοντα τέχνην ῥητορικὴν μετιέναι πρῶτον μὲν δεῖ ταῦτα ὁδῷ διῃρῆσθαι et Soph. 218 D: νῦν οὖν . . ἔγωγε καὶ νῷν οὕτω συμβουλεύω, χαλεπὸν καὶ δυσθήρευτον ἡγησαμένοις εἶναι τὸ τοῦ σοφιστοῦ γένος πρότερον ἐν ἄλλῳ ῥᾴονι τὴν μέθοθον αὐτοῦ προμελετᾶν, εἰ μὴ σύ ποθεν εὐπετεστέραν ἔχεις εἰπεῖν ἄλλην ὁδόν, et Aristoteles multis

[5]) cf. Kiessl.-Heinze ad Hor. sat. II 4, 94.

locis, quos Bonitz [6] contulit, aeque ac tralationem »πηγή«, quam Cicero vocabulo fontis reddidit. Hanc autem imaginem multis aliis quoque locis expinxit, ut de or. II 117: „et tardi ingenii est rivulos consectari, fontis rerum non videre, et iam aetatis est ususque nostri a capite quod velimus arcessere et unde omnia manent videre" et Acad. poster. I 8: „sed meos amicos, in quibus est studium, in Graeciam mitto, id est, ad Graecos ire iubeo, ut ea a fontibus potius hauriant quam rivulos consectentur" et Tusc. I 6: „si aliquid oratoriae laudi nostra attulimus industria, multo studiosius philosophiae fontes aperiemus, e quibus etiam illa manabant" et de or. III 23: „rivis est diducta oratio, non fontibus".

[6]) Index, ed. acad. vol. V, s. v. «ὁδός» p. 496 a 51 sqq.

Appendix.

De Platonis usu metaphorarum.[1]

Hic usus quem apud Ciceronem observavimus saepius idem in Platonis[2] libris invenitur; unde nos ipsi, potissimum ex libris qui inscribuntur Phaedrus, Euthydemus, Protagoras, Symposion, Gorgias, hos congessimus locos idoneos quibus idem illustraretur:

Phaedr. 230 D, ubi Socrates Phaedrum cum pastore quodam comparat: ὥσπερ γὰρ οἱ τὰ πεινῶντα θρέμματα θαλλὸν ἢ τινα καρπὸν προσείοντες ἄγουσι, σὺ ἐμοὶ λόγους οὕτω προτείνων ἐν βιβλίοις τήν τε Ἀττικὴν φαίνει περιάξειν ἅπασαν καὶ ὅποι ἂν ἄλλοσε βούλῃ, ex priore sententia «προτείνων» et «περιάξειν» in posteriorem transtulit.

Euthyd. 285 C ὡς ἐγώ, ἐπειδὴ καὶ πρεσβύτης εἰμί, παρακινδυνεύειν ἕτοιμος καὶ παραδίδωμι ἐμαυτὸν Διονυσοδώρῳ τούτῳ ὥσπερ τῇ Μηδείᾳ τῇ Κόλχῳ· ἀπολλύτω με, καὶ εἰ μὲν βούλεται, ἑψέτω, εἰ δ', ὅ τι βούλεται, τοῦτο ποιείτω· μόνον χρηστὸν ἀποφηνάτω vocabulum «ἑψέτω» ex imagine haustum propriae orationi immiscuit.

Prot. 313 C sophistas cum mercatoribus comparat, quem locum, ut quo praecipue verba propria et tralata inter se confusa sint, totum affero: Ἆρ' οὖν, ὦ Ἱππόκρατες, ὁ σοφιστὴς τυγχάνει ὢν ἔμπορός τις ἢ κάπηλος τῶν ἀγω-

[1]) cf. George Olaf Berg, Metaphor and comparison in the dialogues of Plato. John Hopkins University. — Berlin 1904.

[2]) Cui se permultum debere et Cicero ipse saepius concedit et multis nostrorum disputationibus accuratius probatum est. cf. inprimis v. Heusde, M. Tullius Cicero φιλοπλάτων, diss. Utrecht 1836. — F. Saltzmann, Cic's Kenntnis der plat. Schriften. Cleve 1865/6. — F. Gloel, Über Cic's Studium des Plato. Progr. Magdeburg 1876.

γίμων, ἀφ' ὧν ψυχὴ τρέφεται; Φαίνεται γὰρ ἔμοιγε τοιοῦτός τις. τρέφεται δέ, ὦ Σώκρατες, ψυχὴ τίνι; Μαθήμασι δήπου, ἦν δ' ἐγώ. καὶ ὅπως γε μή, ὦ ἑταῖρε, ὁ σοφιστὴς ἐπαινῶν, ἃ πωλεῖ, ἐξαπατήσῃ ἡμᾶς, ὥσπερ οἱ περὶ τὴν τοῦ σώματος τροφήν, ὁ ἔμπορός τε καὶ κάπηλος. καὶ γὰρ οὗτοί που ὧν ἄγουσιν ἀγωγίμων οὔτε αὐτοὶ ἴσασιν ὅ τι χρηστὸν ἢ πονηρὸν περὶ τὸ σῶμα, ἐπαινοῦσι δὲ πάντα πωλοῦντες, οὔτε οἱ ὠνούμενοι παρ' αὐτῶν, ἐὰν μή τις τύχῃ γυμναστικὸς ἢ ἰατρὸς ὤν. οὕτω δὲ καὶ οἱ τὰ μαθήματα περιάγοντες κατὰ τὰς πόλεις καὶ πωλοῦντες καὶ καπηλεύοντες τῷ ἀεὶ ἐπιθυμοῦντι ἐπαινοῦσι μὲν πάντα ἃ πωλοῦσι, τάχα δ' ἄν τινες, ὦ ἄριστε, καὶ τούτων ἀγνοοῖεν ὧν πωλοῦσιν ὅ τι χρηστὸν ἢ πονηρὸν πρὸς τὴν ψυχήν· ὡς δ' αὔτως καὶ οἱ ὠνούμενοι παρ' αὐτῶν, ἐὰν μή τις τύχῃ περὶ τὴν ψυχὴν αὖ ἰατρικὸς ὤν. εἰ μὲν οὖν σὺ τυγχάνεις ἐπιστήμων τούτων τί χρηστὸν καὶ πονηρὸν, ἀσφαλές σοι ὠνεῖσθαι μαθήματα καὶ παρὰ Πρωταγόρου καὶ παρ' ἄλλου ὁτουοῦν· εἰ δὲ μή, ὅρα, ὦ μακάριε, μὴ περὶ τοῖς φιλτάτοις κυβεύῃς τε καὶ κινδυνεύῃς. καὶ γὰρ δὴ καὶ πολὺ μείζων κίνδυνος ἐν τῇ τῶν μαθημάτων ὠνῇ ἢ ἐν τῇ τῶν σιτίων. σιτία μὲν γὰρ καὶ ποτὰ πριάμενον παρά του καπήλου καὶ ἐμπόρου ἔξεστιν ἐν ἄλλοις ἀγγείοις ἀποφέρειν, καὶ πρὶν δέξασθαι αὐτὰ εἰς τὸ σῶμα πιόντα ἢ φαγόντα, καταθέμενον οἴκαδε ἔξεστι συμβουλεύσασθαι, παρακαλέσαντα τὸν ἐπαίοντα, ὅ τί τε ἐδεστέον ἢ ποτέον καὶ ὅ τι μή, καὶ ὁπόσον καὶ ὁπότε· ὥστε ἐν τῇ ὠνῇ οὐ μέγας ὁ κίνδυνος. μαθήματα δὲ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ ἀγγείῳ ἀπενεγκεῖν, ἀλλ' ἀνάγκη καταθέντα τὴν τιμήν, τὸ μάθημα ἐν αὐτῇ τῇ ψυχῇ λαβόντα καὶ μαθόντα[3] ἀπιέναι ἢ βεβλαμμένον ἢ ὠφελημένον.

Symp. 216 D sqq. Alcibiades Socratem cum Sileno comparat: ὁρᾶτε . . . ὅτι Σωκράτης ἐρωτικῶς διάκειται τῶν καλῶν καὶ ἀεὶ περὶ τούτους ἐστὶ καὶ ἐκπέπληκται καὶ αὖ ἀγνοεῖ πάντα καὶ οὐδὲν οἶδεν, ὡς τὸ σχῆμα αὐτοῦ. τοῦτο οὐ σειληνῶδες; σφόδρα γε. τοῦτο γὰρ οὗτος ἔξωθεν περιβέβληται, ὥσπερ ὁ γεγλυμμένος σειληνός· ἔνδοθεν δὲ ἀνοιχθεὶς πόσης οἴεσθε γέμει, ὦ ἄνδρες συμπόται, σωφροσύνης; ἴστε ὅτι οὔτ' εἴ τις καλός ἐστι μέλει αὐτῷ οὐδέν, ἀλλὰ καταφρονεῖ τοσοῦτον ὅσον οὐδ' ἂν εἷς

[3]) Ut hic apud Platonem, sic apud Ciceronem verbum proprium artissime coniunctum est cum translatione de or. I 153 [p. 52]: „ . . scriptorum similitudine et vi . .“ et Brut. 93. [p. 56]: „ . . illa vis et quasi flamma oratoris“. cf. Tim 69 A/B [p. 66] al.

οἰηθείη, οὔτ᾽ εἴ τις πλούσιος, οὔτ᾽ εἰ ἄλλην τινὰ τιμὴν ἔχων τῶν ὑπὸ πλήθους μακαριζομένων· ἡγεῖται δὲ πάντα ταῦτα τὰ κτήματα οὐδενὸς ἄξια καὶ ἡμᾶς οὐδὲν εἶναι, λέγων μὲν οὔ, εἰρωνευόμενος δὲ καὶ παίζων πάντα τὸν βίον πρὸς τοὺς ἀνθρώπους διατελεῖ. σπουδάσαντος δὲ αὐτοῦ καὶ ἀνοιχθέντος[3] οὐκ οἶδα εἴ τις ἑώρακε τὰ ἐντὸς ἀγάλματα· ἀλλ᾽ ἐγὼ ἤδη ποτ᾽ εἶδον, καί μοι ἔδοξεν οὕτω θεῖα καὶ χρυσᾶ[3] εἶναι καὶ πάγκαλα καὶ θαυμαστά, ὥστε ποιητέον εἶναι ἐν βραχεῖ, ὅ τι κελεύοι Σωκράτης.

Phaedr. 247 C sqq. quoque optimum exemplum huius ex metaphoris et verbis propriis mixtae orationis praebet; quo toto ex loco 251 B sqq. solum excerpo: ἰδόντα δὲ αὐτὸν οἷον ἐκ τῆς φρίκης μεταβολή τε καὶ ἱδρὼς καὶ θερμότης ἀήθης λαμβάνει· δεξάμενος γὰρ τοῦ κάλλους τὴν ἀπορροὴν διὰ τῶν ὀμμάτων ἐθερμάνθη, ᾗ ἡ τοῦ πτεροῦ φύσις ἄρδεται, θερμανθέντος δὲ ἐτάκη τὰ περὶ τὴν ἔκφυσιν, ἃ πάλαι ὑπὸ σκληρότητος συμμεμυκότα εἶργε μὴ βλαστάνειν, ἐπιρρυείσης δὲ τῆς τροφῆς ᾤδησέ τε καὶ ὥρμησε φύεσθαι ἀπὸ τῆς ῥίζης ὁ τοῦ πτεροῦ καυλὸς ὑπὸ πᾶν τὸ τῆς ψυχῆς εἶδος· πᾶσα γὰρ ἦν τὸ πάλαι πτερωτή. Ζεῖ οὖν ἐν τούτῳ ὅλη καὶ ἀνακηκίει, καὶ ὅπερ τὸ τῶν ὀδοντοφυούντων πάθος περὶ τοὺς ὀδόντας γίγνεται, ὅταν ἄρτι φύωσι, κνῆσίς τε καὶ ἀγανάκτησις περὶ τὰ οὖλα, ταὐτὸν δὴ πέπονθεν ἡ τοῦ πτεροφυεῖν ἀρχομένη ψυχή· ζεῖ τε καὶ ἀγανακτεῖ καὶ γαργαλίζεται φύουσα τὰ πτερά. ὅταν μὲν οὖν βλέπουσα πρὸς τὸ τοῦ παιδὸς κάλλος ἐκεῖθεν μέρη ἐπιόντα καὶ ῥέοντα, ἃ δὴ διὰ ταῦτα ἵμερος καλεῖται,[4] δεχομένη τὸν ἵμερον ἄρδηταί τε καὶ θερμαίνηται, λωφᾷ τε τῆς ὀδύνης καὶ γέγηθεν· ὅταν δὲ χωρὶς γένηται καὶ αὐχμήσῃ, τὰ τῶν διεξόδων στόματα, ᾗ τὸ πτερὸν ὁρμᾷ, συναυαινόμενα μύσαντα ἀποκλείει τὴν βλάστην τοῦ πτεροῦ, ἡ δ᾽ ἐντὸς μετὰ τοῦ ἱμέρου ἀποκεκλῃμένη, πηδῶσα οἷον τὰ σφύζοντα, τῇ διεξόδῳ ἐγχρίει ἑκάστη τῇ καθ᾽ αὑτήν, ὥστε πᾶσα κεντουμένη κύκλῳ ἡ ψυχὴ οἰστρᾷ καὶ

[4]) Quibus potissimum ex verbis elucet, quanti momenti ad hanc tralaticiam orationem excolendam studium propriae sententiae vocabulorum cognoscendae fuerit [cf. p. 54]; cf. »εὐθύνειν« [p. 66 sq.] et »ὑπογράφειν« [p. 67]; Gorg. 493 A [p. 65].

ὀδυνᾶται· μνήμην δ' αὖ ἔχουσα τοῦ καλοῦ γέγηθεν. ἐκ δ' ἀμφοτέρων μεμιγμένων ἀδημονεῖ τε τῇ ἀτοπίᾳ τοῦ πάθους καὶ ἀποροῦσα λυττᾷ, καὶ ἐμμανὴς οὖσα οὔτε νυκτὸς δύναται καθεύδειν οὔτε μεθ' ἡμέραν οὗ ἂν ᾖ μένειν, θεῖ δὲ ποθοῦσα, ὅπου ἂν οἴηται ὄψεσθαι τὸν ἔχοντα τὸ κάλλος· ἰδοῦσα δὲ καὶ ἐποχετευσαμένη ἵμερον ἔλυσε μὲν τὰ τότε συμπεφραγμένα, ἀναπνοὴν δὲ λαβοῦσα κέντρων τε καὶ ὠδίνων ἔληξεν, ἡδονὴν δ' αὖ ταύτην γλυκυτάτην ἐν τῷ παρόντι καρποῦται.

Ut hoc loco, sic ibid. 255 C loquitur de pulchritudinis effluvio et pennigera anima:[5] τότ' ἤδη ἡ τοῦ ῥεύματος ἐκείνου πηγή, ὃν ἵμερον Ζεὺς Γανυμήδους ἐρῶν ὠνόμασε, πολλὴ φερομένη πρὸς τὸν ἐραστήν, ἡ μὲν εἰς αὐτὸν ἔδυ, ἡ δ' ἀπομεστουμένου ἔξω ἀπορρεῖ· καὶ οἷον πνεῦμα ἤ τις ἠχὼ ἀπὸ λείων τε καὶ στερεῶν ἁλλομένη πάλιν ὅθεν ὡρμήθη φέρεται, οὕτω τὸ τοῦ κάλλους ῥεῦμα πάλιν εἰς τὸν καλὸν διὰ τῶν ὀμμάτων ἰόν, ᾗ πέφυκεν ἐπὶ τὴν ψυχὴν ἰέναι ἀφικόμενον, καὶ ἀναπτερῶσαν τὰς διόδους τῶν πτερῶν, ἄρδει τε καὶ ὥρμησε πτεροφυεῖν τε καὶ τὴν τοῦ ἐρωμένου αὖ ψυχὴν ἔρωτος ἐνέπλησεν. His autem locis Platonem cum de iis, quae tamquam effluerent, diceret, a metaphoris quibusdam, quae in philosophiae disciplina maxime erant contritae, proficisci elucet ex iis, quae Stallbaum ad Phaedr. 251 B et 255 C adnotavit.

Atque hac sententia, ut aliquid effluere diceret, quis primus in philosophia usus sit, ex Platonis Menone apparet [76 C/D]: ΣΩ. Βούλει οὖν σοι κατὰ Γοργίαν ἀποκρίνωμαι, ᾗ ἂν σὺ μάλιστα ἀκολουθήσαις; ΜΕΝ. Βούλομαι· πῶς γὰρ οὔ; ΣΩ. Οὐκοῦν λέγετε ἀπορροάς τινας τῶν ὄντων κατὰ Ἐμπεδοκλέα;[6] ΜΕΝ. Σφόδρα γε. ΣΩ. Καὶ πόρους, εἰς οὓς καὶ δι' ὧν αἱ ἀπορροαὶ πορεύονται; ΜΕΝ. Πάνυ γε. ΣΩ. Καὶ τῶν ἀπορροῶν τὰς μὲν ἁρμόττειν ἐνίοις τῶν πόρων, τὰς δὲ ἐλάττους ἢ μείζους εἶναι; ΜΕΝ. Ἔστι ταῦτα. ΣΩ. Οὐκ-

[5]) Apparet Platonem hac in re opinionem vulgarem sibi vindicasse, qua anima pennis praedita dicitur. cf. Georg Weicker, „Der Seelenvogel in der alten Literatur und Kunst", Leipz. 1902. — Erwin Rohde, Psyche p. 222.

[6]) cf. Diels, Vorsokratiker², I p. 197, 20: γνοὺς ὅτι πάντων εἰσὶν ἀπορροαὶ ὅσσ' ἐγένοντο.

οὖν καὶ ὄψιν καλεῖς τι; ΜΕΝ. Ἔγωγε. ΣΩ. Ἐκ τούτων δὴ ξύνες ὅ τοι λέγω, ἔφη Πίνδαρος: ἔστι γὰρ χρόα ἀπορροὴ σχημάτων ὄψει σύμμετρος καὶ αἰσθητός.. Ἴσως γάρ σοι κατὰ συνήθειαν εἴρηται. καὶ ἅμα, οἶμαι, ἐννοεῖς, ὅτι ἔχοις ἂν ἐξ αὐτῆς εἰπεῖν καὶ φωνήν, ὃ ἔστι, καὶ ὀσμὴν καὶ ἄλλα πολλὰ τῶν τοιούτων.. Τραγικὴ γάρ ἐστιν, ὦ Μένων, ἡ ἀπόκρισις, ὥστε ἀρέσκει σοι μᾶλλον ἢ ἡ περὶ τοῦ σχήματος. Non oportet fusius demonstrem Platonem Phaedri l. c. ad hoc vocabulum ex philosophorum doctrina sumptum respicere, id quod praecipue apparet ex verbis: οὐκοῦν λέγετε ἀπορροάς τινας τῶν ὄντων.. καὶ πόρους, εἰς οὓς καὶ δι' ὧν αἱ ἀπορροαὶ πορεύονται; unde ceterae et singulae metaphorae et totae imagines ortae sunt.

Soph. 263 E ad idem vocabulum redit: ΞΕ. οὐκοῦν διάνοια μὲν καὶ λόγος ταὐτόν· πλὴν ὁ μὲν ἐντὸς τῆς ψυχῆς πρὸς αὑτὴν διάλογος ἄνευ φωνῆς γιγνόμενος τοῦτ' αὐτὸ ἡμῖν ἐπωνομάσθη διάνοια; ΘΕΑΙ. Πάνυ μὲν οὖν. ΞΕ. Τὸ δέ γ' ἀπ' ἐκείνης ῥεῦμα διὰ τοῦ στόματος ἰὸν μετὰ φθόγγου κέκληται λόγος.

Ex metaphora «ἀπληστία» progressus [7] de Danaidum fabula recordatus est Gorg. 493 A sqq.: καὶ τοῦτο ἄρα τις μυθολογῶν κομψὸς ἀνήρ, ἴσως Σικελός τις ἢ Ἰταλικός, παράγων τῷ ὀνόματι διὰ τὸ πιθανόν τε καὶ πειστικὸν ὠνόμασε πίθον, τοὺς δὲ ἀνοήτους ἀμυήτους· τῶν δ' ἀμυήτων τοῦτο τῆς ψυχῆς, οὗ αἱ ἐπιθυμίαι εἰσί, τὸ ἀκόλαστον αὐτοῦ καὶ οὐ στεγανόν [8], ὡς τετρημένος εἴη πίθος, διὰ τὴν ἀπληστίαν ἀπεικάσας. τοὐναντίον δὴ οὗτος σοί, ὦ Καλλίκλεις, ἐνδείκνυται ὡς τῶν ἐν Ἅιδου.. οὗτοι ἀθλιώτατοι ἂν εἶεν οἱ ἀμύητοι, καὶ φοροῖεν εἰς τὸν τετρημένον πίθον ὕδωρ ἑτέρῳ τοιούτῳ τετρημένῳ κοσκίνῳ. τὸ δὲ κόσκινον ἄρα λέγει, ὡς ἔφη ὁ πρὸς ἐμὲ λέγων, τὴν ψυχὴν εἶναι· τὴν δὲ ψυχὴν κοσκίνῳ ἀπείκασε τὴν τῶν ἀνοήτων ὡς τετρημένην, ἅτε οὐ δυναμένην στέγειν δι' ἀπιστίαν τε καὶ λήθην. ταῦτ' ἐπιει-

[7]) cf. Gorg. 492 D: τὰς μὲν ἐπιθυμίας φῂς οὐ κολαστέον, εἰ μέλλει τις οἷον δεῖ εἶναι, ἐῶντα δὲ αὐτὰς ὡς μεγίστας πλήρωσιν αὐταῖς ἁμόθεν γέ ποθεν ἑτοιμάζειν, καὶ τοῦτο εἶναι τὴν ἀρετήν.

κῶς μέν ἐστιν ὑπό τι ἄτοπα, δηλοῖ μὴν ὃ ἐγὼ βούλομαί σοι ἐνδειξάμενος, ἐάν πως οἷός τε ὦ, πεῖσαι μεταθέσθαι, ἀντὶ τοῦ ἀπλήστως καὶ ἀκολάστως ἔχοντος βίου τὸν κοσμίως καὶ τοῖς ἀεὶ παροῦσιν ἱκανῶς καὶ ἐξαρκούντως ἔχοντα βίον ἑλέσθαι. ἀλλὰ πότερον πείθω τί σε καὶ μετατίθεσαι εὐδαιμονεστέρους εἶναι τοὺς κοσμίους τῶν ἀκολάστων, ἢ οὐδ᾽ ἂν ἄλλα πολλὰ τοιαῦτα μυθολογῶ, οὐδέν τι μᾶλλον μεταθήσει; eqs.

Phaedr. 264 C Plato scribit: Ἀλλὰ τόδε γε οἶμαί σε φάναι ἄν, δεῖν πάντα λόγον ὥσπερ ζῷον συνεστάναι σῶμά τι ἔχοντα αὐτὸν αὑτοῦ, ὥστε μήτε ἀκέφαλον εἶναι μήτε ἄπουν, ἀλλὰ μέσα τε ἔχειν καὶ ἄκρα, πρέποντ᾽ ἀλλήλοις καὶ τῷ ὅλῳ γεγραμμένα, quam comparationem frequentissimam fuisse supra demonstravimus [cf. p. 22 sq.]. Indidem metaphoram «κεφαλὴ λόγου» sumpsit, qua utitur Gorg. 505 D: ἀλλ᾽ οὐδὲ τοὺς μύθους φασὶ μεταξὺ θέμις εἶναι καταλείπειν, ἀλλ᾽ ἐπιθέντας κεφαλήν, ἵνα μὴ ἄνευ κεφαλῆς περιΐῃ eqs et Phil. 66 D: τὸ δὴ μετὰ ταῦθ᾽ ἡμῖν οὐδὲν λοιπὸν πλὴν ὥσπερ κεφαλὴν ἀποδοῦναι τοῖς εἰρημένοις et Tim. 69 A/B: πάλιν ἐπ᾽ ἀρχὴν ἐπανέλθωμεν διὰ βραχέων, ταχύ τε εἰς ταὐτὸν πορευθῶμεν, ὅθεν δεῦρο ἀφικόμεθα, καὶ τελευτὴν ἤδη κεφαλήν τε τῷ μύθῳ πειρώμεθα ἁρμόττουσαν ἐπιθεῖναι τοῖς πρόσθεν.

Eodem loco aliam quandam metaphoram renovat; l. c. 69 A enim ὅτ᾽ οὖν δὴ τὰ νῦν οἷα τέκτοσιν[8] ἡμῖν ὕλη παράκειται τὰ τῶν αἰτίων γένη διυλισμένα verba «οἷα τέκτοσιν» adposuit, cum vocis «ὕλη» propriae sententiae recordaretur, quam saepe tralate adhibitam esse satis constat.[9]

Protag. 325 D, ubi educatorem comparat cum lignario: εἰ δὲ μὴ (ἑκὼν πείθηται), ὥσπερ ξύλον[8] διαστρεφόμενον καὶ καμπτόμενον εὐθύνουσιν ἀπειλαῖς καὶ πληγαῖς, proficiscitur a verbo «εὐθύνειν», quo ita ut propria vis cognosci non possit, nonnullis verbis infra utitur [326 D E]:

---

[8]) cf. Cic. de opt. gen. or. 5 [p. 17]; de or. III 217 [p. 22] al, pag. 18 adn. 17. — Plat. Lys. 218 D; Euthyd. 277 B [p. 68].

[9]) cf. Phil. 54 C: φημὶ δὴ γενέσεως μὲν ἕνεκα φάρμακά τε καὶ πάντα ὄργανα καὶ πᾶσαν ὕλην παρατίθεσθαι πᾶσιν. cf. Cic. or. 12.

καὶ ἡ πόλις νόμους ὑπογράψασα . . κατὰ τούτους ἀναγκάζει καὶ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι· ὃς δ' ἂν ἐκτὸς βαίνῃ τούτων, κολάζει· καὶ ὄνομα τῇ κολάσει ταύτῃ καὶ παρ' ὑμῖν καὶ ἄλλοθι πολλαχοῦ, ὡς εὐθυνούσης τῆς δίκης, εὐθῦναι. Vocabuli «εὐθύνειν» propriae sententiae Graecos persaepe iam non recordari inde sequitur, quod et «εὔθυνα» in magistratuum ratione reddenda dicebatur et «εὔθυνοι» ii vocabantur, qui rationem ab illis reposcebant; cf. Gilbert, Handbuch der griech. Statsaltertümer[2] I p. 250.

Protag. 326 C sqq. quoque usitata quaedam metaphora imaginis expingendae occasionem dat: Ἐπειδὰν . . ἐκ διδασκάλων ἀπαλλαγῶσιν, ἡ πόλις αὖ τούς τε νόμους ἀναγκάζει μανθάνειν καὶ κατὰ τούτους ζῆν κατὰ παράδειγμα, ἵνα μὴ αὐτοὶ ἐφ' αὐτῶν εἰκῇ πράττωσιν, ἀλλ' ἀτεχνῶς ὥσπερ οἱ γραμματισταὶ τοῖς μήπω δεινοῖς γράφειν τῶν παίδων ὑπογράψαντες γραμμὰς τῇ γραφίδι οὕτω τὸ γραμματεῖον διδόασι καὶ ἀναγκάζουσι γράφειν κατὰ τὴν ὑφήγησιν τῶν γραμμῶν, ὣς δὲ καὶ ἡ πόλις νόμους ὑπογράψασα .. κατὰ τούτους ἀναγκάζει καὶ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι; cuius tralationis propriae sententiae alibi rationem non habet, ut de legg. V 734 E: Καὶ τὸ μὲν προοίμιον τῶν νόμων ἐνταυθοῖ λεχθὲν τῶν λόγων τέλος ἐχέτω, μετὰ δὲ τὸ προοίμιον ἀναγκαῖόν που νόμον ἕπεσθαι, μᾶλλον δὲ τό γε ἀληθὲς νόμους πολιτείας ὑπογράφειν et ibid. IV 711 B.

Protag. 339 E Plato a metaphora «πληγείς», quam perusitatam esse Stallbaum ad Symp. 218 A docuit, progressus ad frequentissimam [cf. p. 30 sqq.] comparationem oratoris et pugnantis cuiusdam delabitur; et ut multis locis, quibus illam translationem invenimus, sic hoc tota comparatio fusius amplificata est: καὶ ἐγὼ τὸ μὲν πρῶτον, ὡσπερεὶ ὑπὸ ἀγαθοῦ πύκτου πληγείς, ἐσκοτώθην τε καὶ ἰλιγγίασα εἰπόντος αὐτοῦ ταῦτα καὶ τῶν ἄλλων ἐπιθορυβησάντων, et similiter Phil. 22 E scribit: Ἀλλὰ μήν, . . ἔμοιγε δοκεῖ νῦν μὲν ἡδονή σοι πεπτωκέναι καθαπερεὶ πληγεῖσα ὑπὸ τῶν νῦν δὴ λόγων· τῶν γὰρ νικητηρίων πέρι

μαχομένη κεῖται et Euthyd. 303 A: ἐγὼ μὲν οὖν . . . ὥσπερ πληγεὶς ὑπὸ τοῦ λόγου, ἐκείμην ἄφωνος.

Eandem metaphoram Symp. 218 A legimus, quo loco cum ea coniunctum est «δηχθείς»: πληγείς τε καὶ δηχθεὶς ὑπὸ τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ λόγων, quod idem vocabulum saepe tralate adhibetur, ut Sophocl. Phil. 1358 et Eurip. Hipp. 696. — Inde Symp. 217 E sqq. tota imago orta est: ἔτι δὲ τὸ τοῦ δηχθέντος ὑπὸ τοῦ ἔχεως πάθος κἀμὲ ἔχει. φασὶ γάρ πού τινα τοῦτο παθόντα οὐκ ἐθέλειν λέγειν οἷον ἦν πλὴν τοῖς δεδηγμένοις, ὡς μόνοις γνωσομένοις τε καὶ συγγνωσομένοις, εἰ πᾶν ἐτόλμα δρᾶν τε καὶ λέγειν ὑπὸ τῆς ὀδύνης. Cum usque ad haec verba novam quandam et ab eo ipso inventam imaginem adhibere videatur, ex insequentibus sententiis elucet eum ad illam metaphoram respicere: ἐγὼ οὖν δεδηγμένος τε ὑπὸ ἀλγεινοτέρου καὶ τὸ ἀλγεινότατον ὧν ἄν τις δηχθείη — τὴν καρδίαν . . γὰρ[10] . . πληγείς τε[11] καὶ δηχθεὶς ὑπὸ τῶν ἐν φιλοσοφίᾳ λόγων, οἳ ἔχονται ἐχίδνης ἀγριώτερον, νέου ψυχῆς μὴ ἀφυοῦς ὅταν λάβωνται, καὶ ποιοῦσι δρᾶν τε καὶ λέγειν ὁτιοῦν . . ·

Deinde praeter Protag. 342 E [cf. pag. 36] Euthyd. 277 B adnotandum est: ὁ Διονυσόδωρος ὥσπερ σφαῖραν[8] ἐκδεξάμενος τὸν λόγον πάλιν ἐστοχάζετο τοῦ μειρακίου, ubi orationem cum pila comparat ob propriam vim verbi «ἐκδέχεσθαι»; Euthyd. 276 C autem: Καὶ πρὶν ἀναπνεῦσαι καλῶς τε καὶ εὖ τὸ μειράκιον ἐκδεξάμενος ὁ Διονυσόδωρος . . ἔφη et ibid. 298 B: Καὶ ὁ Κτήσιππος ἐκδεξάμενος . . . ἔφη . . . et Symp. 189 A: Ἐκδεξάμενον οὖν ἔφη εἰπεῖν τὸν Ἀριστοφάνη, ὅτι . . illius propriae sententiae rationem non habet.

Euthyd. 293 A scribit: Ἔγωγε οὖν καὶ αὐτός, ὦ Κρίτων, ἐπειδὴ ἐν ταύτῃ τῇ ἀπορίᾳ ἐνεπεπτώκη, πᾶσαν ἤδη

---

10) cf. Aristoph. Acharn. 1.

11) cf. Soph. Philoctet 267 sqq. . . ἀγρίᾳ νόσῳ καταφθίνοντα, τῆς ἀνδροφθόρου πληγέντ' ἐχίδνης ἀγρίῳ χαράγματι.

φωνὴν ἠφίειν, δεόμενος τοῖν ξένοιν ὥσπερ Διοσκούρων ἐπικαλούμενος σῶσαι ἡμᾶς, ἐμέ τε καὶ τὸ μειράκιον, ἐκ τῆς τρικυμίας τοῦ λόγου, καὶ παντὶ τρόπῳ σπουδάσαι κτλ, quo loco eum ad frequentem quandam metaphoram redire ex Hipp. mai. 298 C et Xenoph. Hellen. IV 5,5 elucet. [cf. Stallbaum a. h. l.].

Nec minus voce «ἁρμονία» nonnumquam tota comparatio evocatur. Nonnullis quidem locis certa imago non potest cognosci, ut Pol. IV 431 E, ibid. IX 591 D, Phaedr. 93 E, Theaet. 175 E, ubi ea vox in oratione usurpatur: ὁ δ' αὖ τὰ μὲν τοιαῦτα πάντα δυναμένου τορῶς τε καὶ ὀξέως διακονεῖν, ἀναβάλλεσθαι δὲ οὐκ ἐπισταμένου ἐπιδέξια ἐλευθέρως οὐδέ γ' ἁρμονίαν λόγων λαβόντος ὀρθῶς ὑμνῆσαι θεῶν τε καὶ ἀνδρῶν εὐδαιμόνων βίον ἀληθῆ. — Et in eadem incerta et quasi fluctuante sententia verbum «ἁρμόττειν» dicitur, ut Gorg. 503 E.

Aliis autem locis res concinentes et congruentes comparantur cum musicis,[12] ut Lach. 188 C sqq.: ὅταν . . . ἀκούω ἀνδρὸς περὶ ἀρετῆς διαλεγομένου ἤ περί τινος σοφίας ὡς ἀληθῶς ὄντος ἀνδρὸς καὶ ἀξίου τῶν λόγων ὧν λέγει, χαίρω ὑπερφυῶς, θεώμενος ἅμα τόν τε λέγοντα καὶ τὰ λεγόμενα, ὅτι πρέποντα ἀλλήλοις καὶ ἁρμόττοντά ἐστι· καὶ κομιδῇ μοι δοκεῖ μουσικὸς ὁ τοιοῦτος εἶναι, ἁρμονίαν καλλίστην ἡρμοσμένος οὐ λύραν οὐδὲ παιδιᾶς ὄργανα, ἀλλὰ τῷ ὄντι ζῆν, ἡρμοσμένος αὐτὸς αὑτοῦ τὸν βίον σύμφωνον τοῖς λόγοις πρὸς τὰ ἔργα, ἀτεχνῶς δωριστί, ἀλλ' οὐκ ἰαστί, οἴομαι δὲ οὐδὲ φρυγιστὶ, οὐδὲ λυδιστί, ἀλλ' ἥπερ μόνη Ἑλληνική ἐστιν ἁρμονία.[13] ὁ μὲν οὖν τοιοῦτος χαίρειν με ποιεῖ φθεγγόμενος καὶ δοκεῖν ὁτῳοῦν φιλόλογον εἶναι· οὕτω σφόδρα ἀποδέχομαι παρ' αὐτοῦ τὰ λεγόμενα κτλ, quem ad locum ibid. 193 D/E respicit: οὐκ ἄρα που κατὰ τὸν σὸν λόγον δωριστὶ

[12]) cf. Symp. 187 C: καὶ ἔστιν αὖ μουσικὴ περὶ ἁρμονίαν καὶ ῥυθμὸν ἐρωτικῶν ἐπιστήμη.

[13]) Quamquam in musicis harmonia Hellenica non est, tamen Plato hic de illa loquitur, utpote cui propria sententia totius loci obversetur.

ἡρμόσμεθα ἐγώ τε καὶ σύ, ὦ Λάχης· τα γὰρ ἔργα οὐ ξυμφωνεῖ ἡμῖν τοῖς λόγοις. cf. Phaed. 85 E sqq.

Symp. 219 B a metaphora «ἀφιέναι λόγους» proficiscitur: ἐγὼ μὲν δὴ ταῦτα ἀκούσας τε καὶ εἰπὼν καὶ ἀφεὶς ὥσπερ βέλη τετρῶσθαι αὐτὸν ῴμην, quocum loco compares legg. III 698 D: ⟨Δᾶτίς⟩ τινα λόγον εἰς τὴν ἡμετέραν πόλιν ἀφῆκε φοβηρόν, ibid. X 885 B: οὔτε ἔργον ἀσεβὲς εἰργάσατο ἑκὼν οὔτε λόγον ἀφῆκεν ἄνομον, Gorg. 458 C: ἐμοὶ δ' οὖν καὶ αὐτῷ μὴ γένοιτο τοσαύτη ἀσχολία, ὥστε τοιούτων λόγων καὶ οὕτω λεγομένων ἀφεμένῳ προὐργιαίτερόν τι γενέσθαι ἄλλο πράττειν; fusius autem oratorem et militem inter se contendit legg. XII 962 C/D: KA. . . εἰ . . τοπάζειν δεῖ, δοκεῖ μοι τείνειν ὁ λόγος οὗτος εἰς τὸν σύλλογον, ὃν εἶπες νῦν δὴ νύκτωρ δεῖν ξυνιέναι. ΑΘ. Κάλλιστ' ὑπέλαβες, . . καὶ δεῖ δὴ τοῦτον, ὡς ὁ νῦν παρεστηκὼς ἡμῖν λόγος μηνύει πᾶσαν ἀρετὴν ἔχειν, ἧς ἄρχει τὸ μὴ πλανᾶσθαι πρὸς πο λὰ στοχαζόμενον, ἀλλ' εἰς ἓν βλέποντα πρὸς τοῦτο ἀεὶ τὰ πάντα οἷον βέλη[8] ἀφιέναι et Phil. 23 B: καὶ γὰρ δὴ φαίνεται δεῖν ἄλλης μηχανῆς, ἐπὶ τὰ δευτερεῖα ὑπὲρ νοῦ πορευόμενον οἷον βέλη ἔχειν ἕτερα τῶν ἔμπροσθεν λόγων.[14]

Eiusdem imaginis amplificandae metaphora «ἀγών» ansam dat, ut Gorg. 526 E/527 A: παρακαλῶ δὲ καὶ τοὺς ἄλλους πάντας ἀνθρώπους, καθ' ὅσον δύναμαι, καὶ δὴ καὶ σὲ ἀντιπαρακαλῶ ἐπὶ τοῦτον τὸν βίον καὶ τὸν ἀγῶνα τοῦτον ὃν ἐγώ φημι ἀντὶ πάντων τῶν ἐνθάδε ἀγώνων εἶναι, καὶ ὀνειδίζω σοι, ὅτι οὐχ οἷός τ' ἔσει σαυτῷ βοηθῆσαι, ὅταν ἡ δίκη σοι ᾖ καὶ ἡ κρίσις ἣν νῦν δὴ ἐγὼ ἔλεγον, ἀλλὰ ἐλθὼν παρὰ τὸν δικαστὴν τὸν τῆς Αἰγίνης υἱόν, ἐπειδάν σου ἐπιλαβόμενος ἄγῃ, χασμήσει καὶ ἰλιγγιάσεις οὐδὲν ἧττον ἢ ἐγὼ ἐνθάδε σὺ ἐκεῖ, καί σε ἴσως τυπτήσει τις καὶ ἐπὶ κόρρης ἀτίμως καὶ πάντως προπηλακιεῖ.

Similes quasdam comparationes invenimus Protag. 337 E/338 A: ἐγὼ μὲν οὖν καὶ δέομαι καὶ συμβουλεύω, ὦ Πρωταγόρα τε καὶ Σώκρατες, συμβῆναι ὑμᾶς ὥσπερ ὑπὸ διαιτη-

[14]) cf. Lucian. Nigrin. 35 sqq.

τῶν ἡμῶν συμβιβαζόντων εἰς τὸ μέσον, καὶ μήτε σὲ τὸ ἀκριβὲς τοῦτο εἶδος τῶν διαλόγων ζητεῖν τὸ κατὰ βραχὺ λίαν, εἰ μὴ ἡδὺ Πρωταγόρᾳ, ἀλλ' ἐφεῖναι καὶ χαλάσαι τὰς ἡνίας τοῖς λόγοις, ἵνα μεγαλοπρεπέστεροι καὶ εὐσχημονέστεροι ὑμῖν φαίνωνται, μήτ' αὖ Πρωταγόραν πάντα κάλων ἐκτείναντα, οὐρίᾳ ἐφέντα, φεύγειν εἰς τὸ πέλαγος τῶν λόγων ἀποκρύψαντα γῆν, ἀλλὰ μέσον τι ἀμφοτέρους τεμεῖν, quam utramque contentionem usitatam esse p 30 adn. 2 et p. 45 sqq. demonstravimus.[15]

---

[15]) Ceterum Aristophanes similiter easdem imagines inter se conectit Ran. 994 sqq. [Kock]:

μή σ' ὁ θυμὸς ἁρπάσας
ἐκτὸς οἴσει τῶν ἐλαῶν.
δεινὰ γὰρ κατηγόρηκεν.
ἀλλ' ὅπως, ὦ γεννάδα,
μὴ πρὸς ὀργὴν ἀντιλέξεις,
ἀλλὰ συστείλας ἄκροισι
χρώμενος τοῖς ἱστίοις
εἶτα μᾶλλον μᾶλλον ἄξεις
καὶ φυλάξεις
ἡνίκ' ἂν τὸ πνεῦμα λεῖον
καὶ καθεστηκὸς λάβῃς.
ἀλλ' ὦ πρῶτος τῶν Ἑλλήνων πυργώσας ῥήματα σεμνὰ
καὶ κοσμήσας τραγικὸν λῆρον, θαρρῶν τὸν κρουνὸν ἀφίει.

Aliis quoque locis comparationibus sophistarum utitur, ut Ran. 1099 sqq. ubi oratorem cum milite comparat:

Μέγα τὸ πρᾶγμα, πολὺ τὸ νεῖκος, ἁδρὸς ὁ πόλεμος ἔρχεται.
χαλεπὸν οὖν ἔργον διαιρεῖν,
ὅταν ὁ μὲν τείνῃ βιαίως,
ὁ δ' ἐπαναστρέφειν δύνηται κἀπερείδεσθαι τορῶς.*
ἀλλὰ μὴ 'ν ταὐτῷ κάθησθον.*
εἰσβολαὶ* γάρ εἰσι πολλαὶ χἄτεραι σοφισμάτων.
ὅτι περ οὖν ἔχετον ἐρίζειν,
λέγετον, ἔπιτον, ἀνὰ δ' ἔρεσθον
τά τε παλαιὰ καὶ τὰ καινά.
κἀποκινδυνεύετον λεπτόν τι καὶ σοφὸν λέγειν.
εἰ δὲ τοῦτο καταφοβεῖσθον, μή τις ἀμαθία προσῇ
τοῖς θεωμένοισιν ὡς τὰ
λεπτὰ μὴ γνῶναι λεγόντοιν,

---

*) cf. Kock a. h. l

Gorg. 493 D: ἄλλην σοι εἰκόνα λέγω ἐκ τοῦ αὐτοῦ γυμνασίου τῇ νῦν comparatio orta est ex frequenti metaphora «εἰκών», quae, ut exempla afferam, invenitur Gorg. 517 D, legg. I 644 C, ibid. X 906 E; Phaedr. 87 B et D; Men. 72 A.

Denique Plato aeque ac nonnumquam Cicero a tralatione fructus [cf. p. 54], sic ipse a metaphora «καρπὸς» proficiscitur Phaedr. 260 D: ποῖόν τινα οἴει μετὰ ταῦτα τὴν ῥητορικὴν καρπὸν ὧν ἔσπειρε θερίζειν;[16] Quae eadem comparatio ei ibid. 276 B obversatur, ubi totam imaginem propagat: τόδε δή μοι εἰπέ· ὁ νοῦν ἔχων γεωργός, ὧν σπερμάτων κήδοιτο καὶ ἔγκαρπα βούλοιτο γενέσθαι, πότερα σπουδῇ ἂν θέρους

μηδὲν ὀρρωδεῖτε τοῦθ'· ὡς οὐκ ἐθ' οὕτω ταῦτ'. ἔχει
ἐστρατευμένοι γάρ εἰσι
βιβλίον τ' ἔχων ἕκαστος μανθάνει τὰ δεξιά.
αἱ φύσεις τ' ἄλλως κράτισται,
νῦν δὲ καὶ παρηκόνηνται.
μηδὲν οὖν δείσητον, ἀλλὰ
πάντ' ἐπέξιτον θεατῶν γ' εἵνεχ', ὡς ὄντων σοφῶν

et ibid. 1386 sqq. ubi orationem cum flumine contendit:

ὅτι εἰσέθηκε ποταμὸν ἐριοπωλικῶς
ὑγρὸν ποιήσας τοὔπος ὥσπερ τἄρια,
σὺ δ' εἰσέθηκας τοὔπος ἐπτερωμένον,

quibus nimirum verbis sophistarum comparationes ac metaphoras irridet.

Deinde ad Nub. 260

λέγειν γενήσει τρῖμμα, κρόταλον, παιπάλη

Kock ipse demonstravit illum ad metaphoras a rhetoribus adhibitas redire.

Denique ibid 316 sqq. quoque rhetoricis translationibus usus est:

ΣΩΚΡ. ἥκιστ', ἀλλ' οὐράνιαι Νεφέλαι, μεγάλαι θεαὶ ἀνδράσιν [ἀργοῖς,
αἵπερ γνώμην καὶ διάλεξιν καὶ νοῦν ἡμῖν παρέχουσιν
καὶ τερατείαν καὶ περίλεξιν καὶ κροῦσιν καὶ [κατάληψιν.
ΣΤΡΕ. Ταῦτ' ἄρ' ἀκούσασ' αὐτῶν τὸ φθέγμ' ἡ ψυχή μου [πεπότηται,
καὶ λεπτολογεῖν ἤδη ζητεῖ καὶ περὶ καπνοῦ στενολεσχεῖν
καὶ γνωμιδίῳ γνώμην νύξασ' ἑτέρῳ λόγῳ ἀντιλογῆσαι.*

εἰς Ἀδώνιδος κήπους ἀρῶν χαίροι θεωρῶν καλοὺς ἐν ἡμέραισιν ὀκτὼ γιγνομένους, ἢ ταῦτα μὲν δὴ παιδιᾶς τε καὶ ἑορτῆς χάριν δρῴη ἄν, ὅτε καὶ ποιοῖ· ἐφ' οἷς δὲ ἐσπούδακε, τῇ γεωργικῇ χρώμενος τέχνῃ ἄν, σπείρας εἰς τὸ προσῆκον, ἀγαπῴη ἂν ἐν ὀγδόῳ μηνὶ ὅσα ἔσπειρε τέλος λαβόντα. ΦΑΙ. οὕτω που, ὦ Σώκρατες, τὰ μὲν σπουδῇ, τά δὲ ὡς ἑτέρως ἄν, ᾗ λέγεις, ποιοῖ. ΣΩ. Τὸν δὲ δικαίων τε καὶ καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἐπιστήμας ἔχοντα τοῦ γεωργοῦ φῶμεν ἧττον νοῦν ἔχειν εἰς τὰ ἑαυτοῦ σπέρματα; ΦΑΙ. Ἥκιστά γε. ΣΩ. Οὐκ ἄρα σπουδῇ αὐτὰ ἐν ὕδατι γράψει μέλανι σπείρων διὰ καλάμου μετὰ λόγων ἀδυνάτων μὲν αὑτοῖς λόγῳ βοηθεῖν, ἀδυνάτων δὲ ἱκανῶς τἀληθῆ διδάξαι. ΦΑΙ. Οὔκουν δὴ τό γ' εἰκός. ΣΩ. Οὐ γάρ· ἀλλὰ τοὺς μὲν ἐν γράμμασι κήπους, ὡς ἔοικε, παιδιᾶς χάριν σπερεῖ τε καὶ γράψει [cf. p. 62. adn. 3], ὅταν γράφῃ, ἑαυτῷ τε ὑπομνήματα θησαυριζόμενος, εἰς τὸ λήθης γῆρας ἐὰν ἵκηται, καὶ παντὶ τῷ ταὐτὸν ἴχνος μετιόντι, ἡσθήσεταί τε αὐτοὺς θεωρῶν φυομένους ἁπαλούς· ὅταν δὲ ἄλλοι παιδιαῖς ἄλλαις χρῶνται, συμποσίοις τε ἄρδοντες αὑτοὺς ἑτέροις τε ὅσα τούτων ἀδελφά, τοτ' ἐκεῖνος, ὡς ἔοικεν, ἀντὶ τούτων οἷς λέγω παίζων διάξει. ΦΑΙ. Παγκάλην λέγεις παρὰ φαύλην παιδιάν, ὦ Σώκρατες, τοῦ ἐν λόγοις δυναμένου παίζειν, δικαιοσύνης τε καὶ ἄλλων ὧν λέγεις πέρι μυθολογοῦντα. ΣΩ. Ἔστι γάρ, ὦ φίλε Φαῖδρε, οὕτω· πολὺ δ', οἶμαι, καλλίων σπουδὴ περὶ αὐτὰ γίγνεται, ὅταν τις τῇ διαλεκτικῇ τέχνῃ χρώμενος, λαβὼν ψυχὴν προσήκουσαν, φυτεύῃ τε καὶ σπείρῃ μετ' ἐπιστήμης λόγους, οἳ ἑαυτοῖς τῷ τε φυτεύσαντι βοηθεῖν ἱκανοὶ καὶ οὐχὶ ἄκαρποι, ἀλλὰ ἔχοντες σπέρμα, ὅθεν ἄλλοι ἐν ἄλλοις ἤθεσι φυόμενοι τοῦτ' ἀεὶ ἀθάνατον παρέχειν ἱκανοί, καὶ τὸν ἔχοντα εὐδαιμονεῖν ποιοῦντες εἰς ὅσον ἀνθρώπῳ δυνατὸν μάλιστα.

[6]) cf. Stallbaum a. h. l.

Vita.

Natus sum Max Wiegandt mens. April. die 29 a. 1888 Suerini in urbe Megalopolitana patre Carolo matre Dora e gente Thege, quam a. 1894 mortuam esse valde lugeo. Fidem profiteor evangelicam. Postquam novem per annos Gymnasium Fridericianum Suerinense frequentavi, maturitatis testimonium vere anni 1906 assecutus, ut studiis philologicis et historicis operam darem, Rostochium petivi, ubi per bis senas lunas versatus sum, deinde Monacum et Berolinum, unde vere anni 1908 Rostochium redii.

Praeceptores mihi fuerunt viri doctissimi Crusius, Drerup, Furtwängler, v. Heigel, Otto, Rehm Monacenses; Mewaldt, Norden. Reich, Schäfer, Vahlen, v. Wilamowitz-Moellendorff Berolinenses; Bloch, Erhardt, Geffcken, Helm, Kern, Kolbe, Lueders, Plasberg, Watzinger Rostochienses.

Exercitationibus philologicis historicis philosophicis archaeologicis ut interessem, veniam dederunt Bloch, Erhardt, Geffcken, Kern, Kolbe, Plasberg, Watzinger.

Quibus omnibus summas gratias ago, inprimis J. Geffcken, R. Helm, qui me hac in dissertatione facienda permultum adiuvit, Gu. Kolbe, nec non Ottoni Plasberg, qui me ad hunc libellum componendum concitavit.